CENTRALE V. E. II

6
19-c
46

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
13 G
29

bliotheca
Coll. Rom.
Societ. Jesu

21-c-7

6-19-c.46

21
c
6

ANT. QVAERENGI
HEXAMETRI CARMINIS
LIBRI SEX.
RHAPSODIAE VARIORVM
Carminum Libri V.

AD SERENISSIMVM
VRBINI DVCEM
FRANCISCVM MARIAM II.
FELTRIVM DE RVVERE.



ROMÆ,
Apud Ludouicum Grignanum M.DC.XXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſ. Sac. Pal. Apoſt. Mag.

A. Epiſc. Bellicaſtren. Viceſg.

IN his carminum libris Clariſſimi, doctiſsimiq. viri Antonij Quærengi Referendarij Apoſtolici, quos mandante Reuerendiſs. P. Sacri Palatij Magiſtro perlegi, nihil reperi qnod pias aures offendat. Quum verò ſingularem præſeferant eruditionem, miram facilitatem, puriſſimumq; Latini ſermonis nitorem, edendos quàm primùm cenſeo Reip. litterariæ bono.

Hieronymus Aleander.

Imprimatur, *Fr. Hyacinthus Lupus Mag. Reuerendiſs. Sacr. Palatij Apoſt. Mag. Soc. Ord. Præd.*

ANTONII QVÆRENGI HEXAMETRI CARMINIS LIBER PRIMVS.

AD SERENISSIMVM VRBINI DVCEM.

MVNERIBVS cæli eximijs, operumq; labore
Nobilium, populos quondam celebrata per omnes
Claruit antiquo tellus regnata Seſoſtri.
Sed neque Niliacis merſos diffuſa per agros
Fertilitas vndis, nec celſo vertice moles
Pyramidũ cæli admotæ fulgentibus aſtris
Sic auidos traxere oculos, vt cognita primùm
Sacra per Iſiacas orbi ſapientia terras
Illuſtri Aegyptum laudis cumulauit honore.
Nam rudibus mundi ſæclis, mortalia nondum
Ingenuos vitæ noſſet cùm pectora cultus,

[library stamp]

Aurea in his hominum ſoboles regionibus orta
Mirificas animo præſtāti protulit artes,
Vnde vrbes regere, ac populos, legumq; verendo
Diſcimus admonitu indociles componere mores;
Diſcimus in rerum cauſas penetrare latentes,
Aethera metiri immēſū, terrasq; fretūq;
Et vaga per varios ſeruantes ſidera curſus
Venturi inſignes æui prædicere caſus:
Tanta ſed æternos quicumque inuenta per annos
Traderet arcanis olim ſeruanda figuris,
Laude fruens tacita ignotus ſub nomine magni
Mercurÿ promebat opus, quem credidit omnis
Doctrinæ, eloquÿq; deum celeberrima Memphis.
Hinc vetus innumeris hunc vnum fama libellis
Prodidit amplexum, vaſto quæcumque recondit
Omniparens natura ſinu, quæcumque nitentis
Alta poli conuexa tenent, arcesq; beatæ;

Hunc Latias colerent morem ſi noſtrā per vrbes
Tempora, tu Latiæ ſolus Dux maxime genti
Mercurij titulos, & munera ſacra referres.
Ac velut in Solis radios obuerſa micātes
Cynthia cùm plenum iam cornua iunxit in orbem
Splendeſcit nō igne ſuo, ſic duceret ingēs
Plurima iampridem de te ſibi pagina lumen.
Ingenij quoque multa mei (nam pulcher inertes
Tangit honos quandoque animos) monumenta niterent
Luce tua. Nec te ſuperi de ſtirpe parētis
Vana fides genitum, certi quem numinis inſtar
Turbinibus belli in tātis Saturnia ſæcla
Apenninigenæ reuocantem in regna Metauri
Omnis ab extrema Scyllæi gurgitis vnda
Suſpicit Eridani ad primos Oenotria fontes.
Quē ſuper aſtrigeros axes pernicibus alis
Sublimem rapiūt volucris talaria mētis,
Vnde noua in terras felicis munera vitæ,
Magnaq; cælicolū regis mādata reportas

Verus Atlātiades, quo nec facūdior vllus
Auſonijs vmquā, nec doctior exſtitit oris,
Quòd ſi vota animus temeraria verſat inanis,
Nec potis eſt quiſquam te condere digna, tuumq;
Diuinum meritis nomen præſcribere chartis.
At ſaltem permitte humilem, tua celſa petentem
Hoſpitia, auricomæ Muſam tegat arboris vmbra
FELTRIA Pierijs ſpes artibus vnica QVERCVS.

AD SIXTVM V. Pont. Max.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

CVM VATICANAE AEDI admirabilem tholum imponeret.

DICTÆI fera monſtra ſoli, longumq; peroſus
Dædalus exilium ſumptis, mirabile, pennis
Inceſſit medio naturæ victor Olympo.
Ante tamen leuibus premeret quàm nubila plãtis,
Irrita ne tantæ ſtudium ſpes falleret artis,
Suſpenſos humili greſſus librauit in aura.
Mox vbi nunc Corici colles, nunc ſaxa Cadiſci
Inſtitit, & lætis animum ſucceſſibus auxit,
Tum volucres ſumma pennas concuſsit ab Ida,
Quoq; fugam liquidis dudũ ſibi clauſerat vndis
Ionium cælo pelagus contempſit ab alto.
Tu quoque Principibus longũ intẽtata Latinis
Dum ſtruis immenſæ teſtudini, ardua tecta
Maxime Pontificum, volucri mortalia greſſu
Attollis te cuncta ſuper, famæq; perennis
Ætherium decurris iter, quà nullus eunti
Præmonſtrat veteris limes veſtigia curſus.
At prius æternam quàm cælo educere molem
Tentares, præclara operum documenta minorum
Oſtendere auſis vires ingentibus æquas.
Scilicet excelſo vixdum tibi vertice fulgens
Conſtiterat diademe triplex, vix ſede receptus
Sublimi pia iura dabas, cùm priſca Quiritum
Mœnibus actutum reddi ornamenta iubebas.
Nec mora, diuini ſpecies antiqua nitoris

Emicuit, fulſere nouis ſplendoribus arces
Romuleæ. Proiecta ſolo, & confracta iacebant
Marmora Niligenum ſacris inſculpta figuris,
At nutu inſtaurata tuo, atque erecta ſub auras
Admouere polo victricia ſigna ſalutis.
Mirandos vitreæ ductus deiecerat vndæ
Sæclorum longinqua dies, & barbarus hoſtis,
Candidus aërios per te ſinuatus in arcus
Dulcia reſtituit lympharum pocula fornix:
Iamq; iugis rigui florent ſublimibus horti,
Numine iam certo afflatus virgamq; manumq;
Extulit, & ſaxo ſalientia flumina Moſes
Elicit, innumeris fœcundans fontibus vrbem.
Arcta per anguſtos ducebat ſemita calles,
Viliaq; enormes turpabant compita flexus,
Explicuère tuo latè ſe clauſtra viarum
Imperio, anfractusq; procul ceſſere maligni.
Ardua Cæſareis olim decorata triumphis
Surgebat lapide ad cælum candente columna,
Quæ gyro interiore cauum conuerſa per orbem
Bis centum gradibus culmen ducebat ad altum:
Ponderibus ſed victa ſuis, flammisq; nocenti
Iam iam præcipitem ſtabat tractura ruinam.
Tu tantum miſeratus opus, rimoſa vetuſti
Subſtituis lateris firmum per vulnera marmor,
Et tutam immenſi ſeruas à viribus æui.
Sacratos Quinti cineres plebeia tegebat
Vrna Pij, quam fruſtra omni perquireret vrbe
Hoſpes, & ingentes titulos nox preſſerat atra.
Protinus Exquilijs quod ſurgere cæperat altis
Numinis æterni matri ſacra culmina templum
Accipit, inſigni paries animatur ab arte
Et rutilos fuluum lapides intermicat aurum.
Hic meritos demum tumulos, hic nobile corpus
Repperit optatam ſe digna in ſede quietem
Pontificum verenãda domus, venerãda ſenatus

Curia, quæ Cæli ſublimi in vertice montis
Tot fidei complexa faces, tot lumina patrum
Fulſerat, ipſa ſuis mœrens contecta latebat
Ruderibus, turpiq; ſitu, & ſquallore propinqui
Iampridem claros templi obſcurabat honores.
Ecce manu properante omnis ſublata repente
Congeries lapidum informis, ſpatioſaq; latè
Area quadrati circundata limite campi;
Ecce nec exactis pleni decurſibus anni
Occurrunt oculis mirantibus aurea tecta;
Aurea, magnanimo Regum digniſſima Rege.
Hæc inter ſumma genitor flammantis in arce
Ætheris omnipotens, dulci percuſſus amore
In te aciem tacitus mentis defixerat altæ.
Innumeri aligera circum de gente miniſtri
Ordine ter triplici vigiles fudere phalanges,
Dulcia libantes felicis gaudia vitæ,
Ille refulgentis denſa inter nubila lucis
Arduus excelſo in ſolio hinc ſua pignora verbum
Æternum, hinc ſanctũ amplexus radiabat amorē.
Tergeminum pulchra numen cinxere corona
Sideribus redimita comas ſanctiſſima Virgo,
Biſſeni & proceres, qui dum mortalia membra
Indueret, nato comites hæſere fideles.
Hic ſenior, primi cui limina credita cæli
Depromit meditata diu, regemq; potentem
Aggreditur dictis. Mea cur tot vota per annos
Pollicitis fruſtraris adhuc? cur paſcis inani
Spe cupidum? longo labentia ſæcula curſu
Altera iam ſubeunt, noſtro nec nomine templa
Sacra tibi accipiunt vllum pulcherrima finem.
Aſt ergo ſub vano fallacia corde fouebam
Gaudia, præcipiti ſtudio cùm prima viderem
Fundamenta iaci, & paruos adoleſcere muros,
Nunc alij cœptum prorſus tempſere laborem,
Sumptibus aut magnis victi, aut terrena ſecuti

Commoda, porticibus longis vacua atria, longo
Aggere ſubiectam cinxerunt ædibus vrbem,
Incrementa alij parua adiecere, ſibiq;
Egregium tribuere decus, quòd vertice ſummo
Et lapidum nitido auxerunt fulgore ſacellum.
Heu lentas functorum animas, pars maxima tanti
Interrupta operis dudum faſtigia pendent,
Et pluuijs, hiemiq; apſis patet alta rigenti.
Cui tua ni faueat pietas, iuſſuq; morantem
Prouehat, haud multos ſeſim labefacta per annos
Decidet, & prono ſecum ruet omnia lapſu.
Hoc vnus prohibere nefas, hanc te auſpice labem
Imperij poterat Sixtus delere Latini,
Sed quæ dura obſtat ſors, illum munera mille,
Mille vocant aliò dominantum pondera curæ.
Tu quoque ne noſtro vacuus ſupereſſet honori
In populos ferre arma iubes, cladem q; rebelles.
Quin pacem proferre licet? quin tempora noſtris
Exigua indulges precibus? num regia nuper
Non alius noſtro è cœtu ſibi ſurgere tecta
Vidit, & huic omnes vni ceſſere labores?
Sed nos indecores nẽpe, at tua magne per omnes
Didita terrarum partes qua gloria creſcat
Laude putas, dum templa diu contẽpta relinquis
Romano fundata iugo, quod ſanguine tinxi
Ille ego dux ouium princeps, paſtorq; tuarum?
Dixit & ardenti abſiſtens rubor igneus ore
Emicuit, ceu prima nouum cùm protulit vndis
Hora diem madido nebulas tollente vapore
Flammea Phœbæos incendit purpura vultus.
Cælicolum riſere chori, ſubriſit & ipſe
Irato Omnipotens, placidis tum vocibus infit.
Es ſuperum nulli inferior, nulli æthere in alto
Æqua tuæ numero in tanto conceſſa poteſtas,
Et noſtram precibus dubitas inflectere mentem?
Ac rapidas igni ſubito conſurgis in iras?

Iam votis potiare tuis, iam gaudia carpe
Debita, fulſerunt felicis tempora lucis,
Qua ſimul imperio cæli, ſimul actus amore
Magnanimæ laudis iubeat tua culmine Sixtus
Templa regi, & vaſtum ſuſpendi fornicis obem.
Tum iuuenum denſa nutu è legione volucrum
Aduocat inſignem facie, & pernicibus alis.
Vade ait, Auſonias pennis delapere ad arces
Ocyus, & Sixto perfer mea maxima iuſſa.
Prouehat auguſtum templum, quod molibus altis
Se Vaticani attollit ſub vertice collis,
Præceptis mora longa abſit. finem ore loquendi
Vix dederat, volucri extemplo velocior aura
Ille abit, & cælo in terras delapſus ab alto
Aëria primum Soractis conſtitit arce,
Inde leuis dubio auroræ albeſcentis in ortu
Sixte tuos penna ingreditur celerante penates.
Forte pares magno verſabas pectore curas
Inſomnis, cùm luce micans rutilante miniſter
Adſtitit ætherius, diuinaq; iuſſa peregit,
Ilicet & vacuas ceſſit ſublatus in auras.
Tu viſu attonitus tanto fugientis adoras
Numen, & ò quiſquis ſummi venerabile deſers
Nuncius imperium patris, tua magne ſequentem
Dicta foue, nec plura. diu iam mente ſub alta.
Libratum depromis opus: coguntur in vnum
Protinus Heſperia ex omni quicumque ſagaci
Ingenio, manibusq; valent, doctamq; per artem
Priſca Syracuſij referunt miracula ciuis.
Olli continuò obſequijs mandata capeſſunt.
Munera ſollicitis. ingentia ſaxa frequentes
Per Tiberim prono conuectant flumine puppes;
Robora roboribus nexis ſublata feruntur
In cælum, & lapſu volocrum ſtridente rotarum
Aduoluunt onera ad ſummũ ſe imméſa cacumen.
Ac veluti magna populus cum miſſus ab vrbe

Externa tellure ſibi, ſedemq; domosq;
Collocat, & celſis noua mœnibus oppida cingit,
Mille vacant operi artifices. tu prodigus aurum
Sufficis immodicum. lato iamq; ardua gyro
Marmora ſuccreſcunt, monteſq; & magna leonū
Ora procul terra populus veneratur ab ima.
Inflectit iam curua tholus veſtigia, iam ſe
Coniungunt pronis anguſti amplexibus arcus.
At ſuper immenſæ faſtigia molis ad auras
Victi Erebi ſignum excelſum globus æreus effert,
Qui latus Auſoniæ geminum proſpectat, & vndas
Quas pater Eridanus, quas Tibridis influit amnis.
Interius miris oculos ad tecta figuris
Aurea tollit opus, quod glutine vincta latenti
Parua colorati diſtinguunt ſegmina vitri.
Eximium decori decus additur, excitat artem
Artis honos ingens, & præmia magna laborum,
Perpetuis gratus te laudibus euehit orbis.

PII V. PONT. MAX.
Cineres, ab eodem Sixto V. Vaticana ex æde in Exquilinam tranſlati.

EN iterum Quinti cineres, & ſancta ſub auras
Oſſa Pij. celebrem tota properantis ab vrbe
Concurſum populi cernas, non lumina poſſunt,
Non animi expleri tantæ ad ſpectacula pompæ.
Ipſe pater flauo aſſurgens Tiberinus ab amne,
Innumeraſq; faces, & funeris agmina longi
Miratur, curſumq; inhibet celerantibus vndis.
Plurimus ex omni cœtu de more ſacerdos
Ingreditur, funditq; ſacras è pectore voces.
Ingreditur procerum ſeries numeroſa piorum,
Celſa

Celſa quibus viridi vmbratur coma tecta galero.
Ordine ſublimis medio venerabilis vrna
Fertur odoratæ loculo compoſta cupreſſi,
Aureus inſigni quem tegmine velat amictus.
Iamq; iugis primum incedit ſublimibus agmen,
Iam ſummas tenet Exquilias, ædisq; decoræ
Liminibus ſacri cineres, tumuloq; propinquant.
Felices nimium cineres, vos optima longo
Tempore mens rerum magnos animauit in vſus,
Et modò ab ignota ſublatos ſede ſepulchri
Promeritis æquum veſtris habitare ſacellum
Rara iubet pietas, tanto decedat honori
Barbara quod rapto buſtum regina marito
Exſtruxit, totum decedant clara per orbem
Niliaci monumenta ſoli. procul alta coruſco
Vertice formoſi rutilat noua machina templi,
Artificum quam docta manus, quam bractea fului
Multa micans auri, pretioſaq; ſaxa perornant.
Sed non artificum ſtudio præſtante, nec auri
Eximia tantum ſpecie, lapidumue nitore
Nobilium ſe tollit opus mirabile, quantum
Magnanimi exſurgit titulis, & nomine Sixti.
Hic vobis tumuli inſignes, hic fulget imago
Spirantem niueo referens in marmore vultum.
Hic votis, equidem ſpero, damnabitis olim
Vos quoque & innumeris decorabitur vrna tabellis.
Nunc hilares in tecta noui ſuccedite templi
Optatamq; diu felici in ſede quietem
Carpite, dum volucri circumferet aurea curſu
Aſtra polus, durasq; colunt animalia terras.
Poſt vbi ſopitos tellure exciuerit artus
Summa dies, rapidoq; ſolum flagrauerit igne;
Antiqua rurſum effigie, pulchraq; iuuenta
Ornatos feret alta ſuper vos ſidera felix
Spiritus, & veræ donabit munere vitæ.

D E

DE EODEM SIXTO V. Pont. Max. claſſem parante.

TVſcus Auentinam Tibris dum præterit arcē,
Diſiectæ Herculeo pendent quà robore moles,
Aſpicit extremo ſinuoſæ in margine ripæ
Immanem ſectas in puppim ſurgere quercus.
Aſpicit, ac tanti admirans incœpta laboris
Æternam placidis compellat vocibus vrbem.
Nulla ne te feſſam domitrix ò maxima rerum
Dulcia ſepoſitis mulcebunt ocia curis?
Nulla dabunt æui exiguam momenta quietem?
Tertia iam lætum Zephyris felicibus annum
Cedit hiems, flauis ſe tertia frugibus æſtas
Induit, innumeris ex quo noctemq; diemq;
Exerces operum ſtudijs. quid fornice longo
Inductas memorem ſeptenis collibus vndas?
Quid veteri ingentes obeliſcos ſede reuulſos?
Hic iuga depreſſis æquantur vallibus, hic ſe
Ruderibus tollunt aggeſtis ſtrata viarum.
Cuncta nouo rutilant cultu. tu molibus altis
Me premis, & noti cogis decedere iure
Littoris, vt miſeros pietas tua paſcat egentes.
Tu veteres laxi circumdas limite muri
Exquilias, ſcatebriſq; rigans Felicibus hortos
Principis æterno decoras cognomine villam.
Quis reparata tibi magno labentia ſumptu
Non delubra canit? quis non miratur honores
Surgentis ſacro eximios in colle ſacelli?
Non ſatis hæc, etiam ſiluis deciſa Latinis
Plurima ſobuehitur remis luctantibus arbos.
Et validas opifex properat ſolertia puppes.
Quid ſtruis? aut quos curua iubes ornetur in vſus

Robora? num ſæuos bellum moliris in hoſtes?
An potius maris, & portus tutela propinqui
Præleget Auſonij claſſis noua littoris oras?
Hoc, aliud quodcumque alto ſub corde volutas
Prome libens, me tanta nefas exorſa latere,
Qui Cererem, Bacchumq; tibi, qui mille beatæ
Sufficio hinc terris, hinc æquore commoda vitæ.
Hæc Tiberis. contra læta ſic voce profari
Vertice turrigero nutans vrbs alta Quirini
Incipit. O ſuperis amnis gratiſſime diuis,
O noſtri decus eximium, quid cara perenni
Feruere iamdudum miraris mœnia motu?
Orbe quid excitas artes, omnemq; decoro
Ornatam cultu, & donis præſtantibus vrbem?
Aſpice quis tanti placidas nunc tractet habenas
Imperij, cui ſacra triplex diadema coronet
Tempora, nimirum Sixto ſub principe nomen
Antiquum, & veteris ſpero ditionis honores.
Ille mihi immenſis priuati ſumptibus æris
Magna recenſebas quæ munera detulit; ille
Templa, vias, laticum ductus perfecit, & hortos.
Parua tamen memorata tibi. Quid funditus omne
Euerſum excidio retices ſcelus orbe Latino?
Quid legũ auxilio ſanctarum, & moribus aureis
Inſtaurata ſiles felicis ſæcula vitæ?
Attonitæ mẽs horret adhuc, cũ lenta propinqui
Temporis, & ſpreti ſubit indulgentia iuris.
Non ciuis, non hoſpes erat graſſantis ab armis
Exulis heu domina populorum tutus in vrbe.
Num vaſtata querar diris prædonibus arua?
An laceros æui, ac ſexus diſcrimine nullo
Indignis paſſim miſerorum cædibus artus?
Nunc etiam fuſæ rorant aſpergine tabis
Et nemora, & colles, etiam quibus incidit ignis
Impius oſtentant fumantes tecta fauillas.
Crudeles Libyci fateor perſenſimus olim

In nos Annibalis flammas, crudelia tela:
Te quoque ſæuitia memorandum Spartace noſtri
Teſtantur gemitus, ſed clade vtrumque recenti
Vincitur exitium, nullo quam tempore dignis
Vlciſci poteram pœnis niſi vindice Sixto.
Ille ſimul ſedem meritis euectus in altam
Incœpit iuſtis moderari legibus orbem,
Protinus Heſperias Erebi monſtra horrida terras
Liquere, & nigras Orci rediere ſub vmbras.
Sic Phœbo referente diem pernicibus alis
Pallida Cimmerio fugiens nox abditur antro.
Sic madidi celerant curſum per inane vapores
Cum gelido Boreas innubilus exit ab axe.
Nec verò quò tanta lues excederet orbe
Publica congeſtis exhauſta æraria nummis
Vidimus, aut lecto populatas milite terras.
Cuncta ſimul ſcelerum reſtincta incendia ſolo
Principis admonita, ſolus diſperſa furentum
Agmina prædouum nutu tremeſecit herili.
Ipſa manu lancem librans veneranda ſiniſtra
Erigone, & ferrum dextra, per rura, per vrbes
Ingrediens rigido mala noxia demetit enſe.
Tum pia virtutum Latio ſe turba ſororum
Oſtentat, morumq; decus, celſiq; refulgens
Vis micat ingenij, ceu rurſum Rege Sabino
Sancta regat populos probitas, ceu fulgeat æuo
Noſtro iterum felix Auguſto principe cælum.
Cernis vt effuſas cunctis bona copia fruges
Suggerat? vt dulci mentes concordia nexu
Illiget, & pulchris Pallas colat artibus vrbes?
Cernis vt Aonij celebrent tua littora cycni?
Vt numeris tonet ipſe pater cæleſte canoris
Eloquium? magno rerum cum pondere feſſus
Caſtalij placitas fontis diuertit ad vndas.
Non illo quiſquam diuinius alta parentis
Facta canit ſuperi, non duræ incommoda vitæ
Acrius

Acrius inſequitur miſerans, monituq; ſeuero
Erigit affixas telluri ad ſidera mentes.
At licet æternas Pindi ſibi vindicet artes,
Pierijq; ſacro tantum hauſerit ore liquoris,
Non tamen obſcuris condi ſua nomina chartis,
Aut ſibi non æquos tribui indignatur honores.
Quin humili placidas muſæ non denegat aures.
Hinc alacres quicumque iugum nituntur in altũ
Aonidum, lauriq; petunt è fronde coronam,
Carmine certatim vario ſublimia tanti
Herois monumenta canunt. Hic prima iuuentæ
Tempora, & exactos ſtudijs cæleſtibus annos,
Ille decus memorat ſacri immortale galeri.
Pars canit ætherijs delapſam ſedibus auram,
Omnipotẽtem auram, ſancto quæ flamine magni
Detulit imperij faſces, & ſceptra merenti.
Aſt alij cultusq; mei, formæq; nitorem
Laude ferunt. certant pariter, pariterq; fatentur
Se tantæ rerum cuncti ſuccumbere moli.
Magna quidẽ veſtros dudum preſſere lacertos
Pondera felices animæ, ſed maxima longè
Nunc rerum, laudumq; ſimul ſe pandit origo.
Scilicet vt fida tutam ſtatione locauit
Iuſtitiam, varioq; vrbem exornauit honore.
Anguſtæ ſe laudis adhuc putat orbe teneri,
Et geminos famam Sixtus meditatur ad axes.
Ergo pijs reges ſtimulis in bella potentes
Sancta ciet, ſancto vnanimes ſibi fœdere iungit,
Vt quas in rerum dominum cælo extulit arces
Infandas Babylon, vltricibus eruat armis,
Et premat impoſito Iſmarij pede colla tyranni.
Excitat hinc animum pietas, hinc nobilis alto
Sollicitat ſub corde pudor. quot barbarus vrbes,
Quot populos ſæuo imperio ſubiecerit hoſtis,
Vſq; agitat. miſeri ante oculos, ante ora recurſãt,
Quos laribus procul à patrijs crudelia duro

Sub domino immeritis exercent vincula pœnis.
Ipſæ animo Solymæ occurrũt, ipſa vndique sãctis
Preſſa Dei pedibus tellus, quodq; impia turba
Polluit exacta ſacrum mercede ſepulcrum.
Immiſere alij tanta ad certamina quondam
Innumeras acies pelago, quæ forribus auſis
Recluſere Aſiam, & Syloes in fonte nitenti
Victrices pepulere ſitim, ſed partus in æuum
Exiguum decor, & pubi quæſita Latinæ
Mobilibus pennis ſe gloria vertit ad hoſtes.
Nunc opibus, numeroq; pari Sidonia rurſum
Littora, & antiquæ fines repetemus Ioppes.
Dux maior, memoranda etiam manet exitus acta
Lætior, & ſtabili claudemus fine labores.
Nec mora, cõſterni latum volitantibus æquor
Puppibus aſpicies, iuratæ in fœdera gentes
Iam freta ſollicitant animo, iam prælia miſcent,
Diripiuntq; vruntq; rates. Sed maximus omnes
Ante alios pater vrget opus, varioq; parari
Imperat actutum validam ſibi littore claſſem.
Inuigilant paribus magno cum principe curis
Delecti procerum primi, quos inclyta cælo
Nobilitas, altæq; vehit ſapientia mentis.
Non ſecus ac ſuperis æternæ in ſedibus aulæ
Lucis inacceſſæ radijs, ſacraq; verendum
Maieſtate patrem circumſtat celſior ordo
Cœlicolum, volucriq; vigil mandata iubentis
Excipit obſequio, ſiue ille micantibus aſtris
Præſcribit curſum, legesq; indicit Olympo,
Siue per innumeras ſpecies informia rerum
Semina mirandis agitat conuerſa figuris,
Imperioq; ſolum, magnas & temperat vrbes.
Tu cœtus generoſe caput, cui longa per annos
Innumeros Regum ſeries memoratur auorum
Inice. tum magni ſocium ſe muneris addit
Germanæ telluris honos Altempſius, addit
Saulia

Saulia quem Iani antiqua de ſtirpe propago
Edidit ingenio celerem, & præſtantibus actis.
Conſequitur belli nuper, nunc gloria ſacræ
Rara togæ Inſubrum ducibus generatus auitis
Sfortiades, decorat ſummum vir maximus agmen,
Qui victi Meliten ſpolijs Orientis onuſtam
Legibus, & morum titulis melioribus auget.
Olli inter ſeſe crebris communia verſant
Commoda concilijs, nunc quo percurrere pontũ
Remige, quo poſsint armari milite pinus
Diſquirunt, ducibusq; inſtant in bella legendis.
Nunc properat varias terræ dimiſſa per oras
Pagina, qua populis collata volentibus aera,
Qua recipi externis olim conceſſa carinis
Agmina vinctorum curant, cœptisq; laborant
Optatum ratibus celeres imponere finem.
Et iam iuſſa explent, iam Principis ipſa fideli
Vota miniſterio, ſtudijsq; ardentibus æquant.
Hinc hoſtis pauor Odryſij Neptunia proles
Claſſem aptat Ligur ingẽtem, hinc naualibus altis
Molitur Charitum ſedes pulcherrima Siren.
Sed celebres inter quanto præcelſius vrbes
Exerimus tua Roma caput, quantum aurea Titan
Flammifer exſuperat radijs fulgentibus aſtra,
Tantum alias ſuper inſigni ſe mole triremes
Efferet, eximio artificum quæ texta labore
Maxima Tibri tuo nunc littore ſurgit ad auras.
Hac duce longinquas contendere miles in oras,
Hac ruere in bellum, & pugnas agitare cruentas
Condiſcet. non illa leui per marmora curſu
Vectori loca prima tuo concedat Arion,
Non rapidas venti dubitet præuertier auras.
Hac procul ignotos trabe tutius iſſet in orbes
Herculeam princeps auſus contemnere metam.
Hac citius iuueni Æmonio delecta iuuentus
Aurea Phaſiacæ retuliſſet vellera pellis.

Ipſa nouos etiam heroas, noua fulmina ponto
Inferet, Æneadum quos clara è ſtirpe potentum
Alma dabo. innumeri ſtudio certante per vndas
Ire parant, ſacroq; vltro dant nomina bello.
O quas vectari prædas, quæ munera templis
Affigi, quos aſpiciam tranſire triumphos.
Iam pelagi ſinus Auſonij, pacataq; noſtri
Littoris hoſpitibus tutis celebrabitur acta.
Iam ſimul Ægæi fluctus, ſimul arcta patebunt
Euxini mihi clauſtra ſali; Cilicumq; beatam
Tellurem, & ditis penetrabimus oſtia Nili.
Vade age, ſollicito pete proxima cærula curſu
Nuncius ingentis facti, lætumq; per æquor
Magnanimi differ laudes, & nomina Sixti.
Dixerat, admiſſo fluuius celer agmine greſſum
Corripit, & liquidas Tyrrheni infuſus in vndas
Dulcia fert Nereo gratis ſolatia dictis;
Ille decus pelagi natas Tritone vocante
Excitat è latebris, choreaque, & carmine dulci
Acceptam accumulat famã, ſimul omne profundi
Plauſibus, & varijs aſſenſibus inſonat æquor,
Sixtum vndæ, Sixtum ſcopuli, Sixtum antra loquuntur.

AD EVMDEM
ſuas laudes ſupprimentem.

MAxime Pontificum, quo Romula Principe tellus
Egregias veterum laudes tranſgreſſa parentum
Surgit ad æthereas titulis ingentibus arces,
Aureus obliquo iam ſol circumuagus orbe
Integra tranſegit læti quinquennia luſtri,
Ex quo nobilium populo acclamante Quiritum
Geminea tergeminæ ornarunt te ſerta coronæ.

Ex illo quæ geſta tibi, quot ſæua malorum
Herculea ſine monſtra manu deleta per orbem;
Quot populis data iura pijs, quibus aucta repente
Molibus imperij ſedes pulcherrima Roma.
Nō quiſquā magis enumeret, quā flamine crebro
Æquoris impulſos Tyrrheni ad littora fluctus.
Quàm nemoris folia Alpini, quàm lucida cæli
Sidera nocturnis tenebras minuentia flammis.
Non tamen Aonij celebres te fontis alumni
Carminibus ſiluere ſuis, te Lydia Tuſcos
Ad numeros, te Graia chelys, Latiæq; Camœnæ
Suauiſonis cecinere modis, iamq; omnis vtrumq;
Orbis ad Oceanum felicibus indita chartis
Perlegeret laudum præconia magna tuarum.
Sed pluteis pars magna ſacris, vt quiſque canentū
Obtulit, arcana tacitè conduntur in vmbra,
Dulcis ab ætherio procul abdita lumine vitæ.
Forſitan & tua ni tantos miſerata labores
Reſpiciat pietas, ſæclis venientibus auras
Nequicquam ſuperas cupiant, atque irrita vota
Poſcentis populi euentus fruſtretur inanis.
Quod ſi terrarum mole, & mole anxia cæli
Pierium mens alta chorum non temnit, & vndas
Caſtalias, ſi parta animi præſtantibus actis
Nobilis extimulat diuinum gloria pectus,
Da precor erumpant latebris, da lecta decoram
Ordinis in ſeriem populis, cæloq; fruantur
Amplecti conata tuas pia carmina laudes.
Sic opus æterno eximium ſplendeſcet honore,
Inq; vicem tua clara illi monumenta perennem
Sufficient vitam, famæ indelebilis illud
Sixte tuis lucem factis ingentibus addet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

DE CLEMENTE VIII. *Pont. Max. ſacras Vrbis ædes inuiſente.*

SIdereum contempta ſolo repetebat Olympũ
Iam probitas, Erebiq; altis emiſſa cauernis
Errabant miſeras immania monſtra per vrbes.
Iam veterem patriæ exuerat cæleſtis amorem
Gens ſummo ſacrata Deo, veræq; ſalutis
Proh facinus, tabes infecerat atra miniſtros.
Cùm pater excelſa imperij Romanus ab arce
Vnde mare, & terras iuſtis moderatur habenis
Exitium infelix miſerans, cladem q; piorum,
Hæc ſecum. Non ille hominum, cæliq; repertor
Maximus, ætherios nutu qui concutit orbes,
Extulit inſignem tantæ me ad ſedis honorem,
Mollia tranquillæ ſectarer vt ocia vitæ,
Segnitiaq; animus, ſomno & torperet inerti.
Sed gregis vt ſancti noctes me cura, dieſq;
Vrgeret, gregis ah miſeri, quem perfidus hoſtis
Hinc premit incautum, & fallaci intercipit aſtu,
Hinc mala lethiferi vexant contagia morbi,
Quæ medicas paſtor niſi ſedulus excitet artes,
Correptum ſubitò latè populentur ouile.
Quare age (& ò magnis ne diſcrepet exitus auſis).
Tentemus Stygio prædas auertere regno;
Tentemus ſuperas ſedes explere beatis
Ordinibus, quas olim animo tumefacta ſuperbo
Agmina Luciferi nobis ceſſere colendas.
Tu verò ingentis meritò pars prima laboris
Roma mihi, Roma orbis honos, vnde optima ſeſe
Vberibus manans ceu puro è gurgite riuis
Relligio extremas terrarum fundit in oras,

Et

Et nitidos præbet populis ſitientibus hauſtus.
Tu ſacri caput imperij, tu maxima ſedes,
Cui tot felices animæ melioribns annis
Dulcia proiecta paſſim per vulnera vita
Æternum laudis peperere inſignis honorem.
Militiæ hic cecidere duces, hic lumina noſtræ;
Lacteus hanc ſacra Pauli ceruice profuſus
Imbuit amnis humum. roranti hanc ſanguine tinxit
Pontificum princeps, duro cum ſtipite verſis
Ad cælum plantis crudeli in morte pependit.
Et nunc magna etiam ſanctæ veſtigia cædis,
Et colimus templis veneranda ingentibus oſſa.
Nunc veteres etiam vaſta inter ſaxa ruinæ,
Effoſſiq; pijs calles tellure ſub alta
Diuinis reſonant monitis, quæ ſera nepotum
Heu male ſectatur ſoboles, ſed munere noſtro
Excutiat turpes ignauo è pectore curas,
Et celeri ſummum contendat ad æthera greſſu.
Dixerat, & rapidis ſenſit præcordia flammis
Incendi, miroq; operis flagrauit amore.
Protinus excelſo ingenio, & præſtantibus actis
Aduocat inſignes comites, omnemq; ſeuerus
Perluſtrat cenſor mores, ac templa per vrbem.
Ecce nouo ſuperum fulgent tecta ardua cultu,
Luminibus crebræ rutilant ſplendentibus aræ,
Artibus inſtructa egregijs, inſtructa pudore
Sacra cohors cælo inuigilat, Romana propago;
Et Latius priſcis radiat virtutibus orbis.

Ad eumdem

SILVESTRI PATRIS, & Thomæ fratris opera publicantem.

HAnc etiam merito Clemens tibi maxime laudem
Tot celebres inter famæ immortalis honores
Perpetuo manſuram æuo parit inclyta virtus
Auſpicijs quòd læta tuis veneranda per vrbes
Ingreditur Latias priſco ſapientia cultu,
Et vitæ altrices melioris promouet artes.
Illa tot elatis vno prope funere mœrens
Principibus, ſteriliq; ſolo, Martisq; tumultu
Squallorem induerat tætrum, dubioq; trementes
Ore per Auſoniam fundebat territa voces.
Tu miſeros diris prædonibus eripis agros,
Munificisq; opibus populos ſolaris egentes.
Tu magni illecebris præmi perducis in vrbem
Ingenio præſtante viros, qui ſacra recludant
Nobilium ſtudiorum adyta, & iã Romula pubes
Fontis inexhauſtas puri bibit auribus vndas.
Iam leges Aſtræa tuas, iam maxima rerum
Principia, & veræ cæleſtia dona ſalutis
Altior egregijs animis facundia pandit.
Nõ ſatis hoc, latebris quoq; cõdita noctis opacæ
In lucem monumenta effers, quæ publicus olim
Omnibus incaſſum votis optauerat vſus.
En tibi fraterni donum immortale laboris
Promitur, Europæ admirans ſtudioſa iuuentus
Quod celebri excipiat plauſu, verſasq; decoro
Eloquio vitas ſapientum crebra volutet.

En maius genitoris opus, cui ſponte merenti
Vtraque decedant Romani lumina iuris,
Innumeris miſeras quód litibus eximat vrbes,
Et ſtabili iungat diſcordes fœdere ciues.
O felix tanto Princeps genitore, ſed ipſa
Fortunate magis virtutum laude tuarum,
Perge artes bonus ingenuas, perge optima dignis
Muneribus ſtudia ad ſummos attollere honores.

AD PAVLVM V. Pont. Max.

Nympha Tiburs in Eſtenſium Principum hortis hydraulici organi modulatrix.

ERgo iterum noſtro fallax illuſit amori
Spes? iterũ cultu Princeps tibi magne nitẽti
Nequidquã lætos Nymphæ exornauimus hortos?
Non tamen ambiguo nuper ſermone per arces
Tiburis Herculeas percurrens fama canebat,
Te ſimul ac magni moles operoſa laboris
Parua graues inter concederet ocia curas,
Venturum noſtras poſt longa reuiſere ſedes
Tempora, & effoſſæ ductos per viſcera rupis
Innumeros patrio nobis è flumine fontes.
Credidimus, ſed fama ſimul, ſimul irrita voti
Protinus aërias ſunt gaudia rapta per auras.
Et dolor, & triſtes animum ſubiere querelæ.
Nec minor interea forſan tibi dempta voluptas;
Proxima prælata eſt nobis cum Tuſcula tellus,
Floriferum nam mille ſolum, mille vnda dediſſet
Mirifico ſalientis aquæ ſpectacula ludos.

Ipſa ego, Naiadum quæ non poſtrema ſororum
Suauiſonos agitans lympharum verbere ventos
Dulcia ter triplicis meditor modulamina cantus,
In laudes Pater alme tuas, in facta parabam
Inclyta Pierijs impellere vocibus auras,
Auſpicijsq; tuis felicia dicere ſæcla
Reddita per Latium, pulſaſq; in Tartara diras
Vrbibus Eumenidas, bellumq; immane, famemq;
Et ſuperis poſita immenſo templa ardua ſumptu.
Nunc mihi, ni miſeræ tangit tua pectora mœror,
Quid ſupereſt? quæ deinde animo ſolatia reſtant?
Scilicet ipſe etiam, quo quondam læta fruebar,
Quiq; tuum nobis humili prece numen amicum
Redderet, Auſonio dudum procul orbe relicto
Hiſpanas Eſtenſis herus nunc incolit oras,
Nec potis eſt ægra luctum depellere mente.
 Quòd ſi nulla decus meritorũ inſigne tuorum,
Nulla colit ſacri imperium venerabile regni
Par pietas noſtræ, ſi quos debemus honores
Æternæ genio ſummos impendimus vrbis,
Et referunt priſcam ſimulacra ingentia Romam,
Ne placidas iuſtis precor obſtrue queſtibus aures,
Et longos toties fruſtra exoptata per annos
Cernere diuini tandem da lumina vultus.

AD EVMDEM.

NOn procul extremam properantis temporis horam
Eſſe reor (nec pauca monent) qua carcere liber
Corporeo ſuperas, vt ſpero, attollar ad arces.
Hunc mecũ intrepida exceſſum dum mẽte voluto
Occurrunt animo plures, quorum agnita longo
Erga me pietas vſu ſibi præmia poſcit
Quæ mihi vt ex aliqua liceat perſoluere parte

Ad

Ad tua, perſæpe vt ſoleo, mitiſſime princeps
Munera confugio ſupplex, nec magna rogari
Audaci te voce putes. Vrbana ſupellex
Eſt mihi, vænalem quam qui ſubiecerit haſtæ
Vix decies octona queat ſeſtertia nummum
Conficere. hanc tabulis ſummam legare ſupremis
Vt valeam mihi concedi, ſi iura repugnant
Vlla peto. Permiſſa quidem te auctore poteſtas
Omnibus eſt, magna degunt qui Martis in vrbe,
Vt niſi præſentem poſcentia templa miniſtrum
Obtineant, abſintq; ſuas quantumlibet amplas
Fortunas cuicumque volunt in morte relinquant.
Aſt ego quamquam olim te concedente meorum
In ſe alius molemq; onerum, curamq; recepit,
Subuereor tamen interdum, ne ſi actus inani
Errandi ſtudio, aut cæcæ ambitionis amore
Is procul à ſacra abſcedens ſtatione vagetur,
Ipſe adigar pœnas alienæ expendere culpæ.
Hunc tua me placido aſpiciens clementia vultu
Corde metum trepido vt pellat, cumuletq; recẽti
Munere quæ quondã mihi plurima contulit oro.

LIBER II.

GEORGII RADZIVILI Principis Lituani Cardinalatus.

Torpuimus lento dudum mea cura veterno
Pierides, obducta ſitu ſqualente pependit
Barbitos, & ſacris Pindi deſueuimus antris.
Nam quibus ingratas numeris abſumeret horas
Anxia mens, duci in longum cum cerneret æuum
Expectata diu vanis ſibi gaudia votis?
Semper & incertæ trepidaret vocibus vrbis?
Nunc procul ignauo ſegnes de pectore curæ.
Nunc pauor abſcedat gelidus. lætiſſima fulſit
En toties ſperata dies, qua pulchrior vnquam
Nulla tulit pelago radios. da plectra, canoro
Fert animus ſonitu reſides impellere chordas.
Iamq; per excelſi rupes Heliconis amœnas,
Iam nemorum dulces ſacrorũ errare per vmbras,
Et nitidos videor Parnaſſi haurire liquores.
Hanc ſibi lætitiam, hos luſus felicia poſcunt
Tempora. quid ceſſem; Latia tandẽ actus ab vrbe.
Ille diu fruſtra optatus contendit ad Arcton
Nuncius, ardenti flauos qui murice crines
Præcingat Radiuile tibi, lectumq; Senatus
Te magni ferat in numerum. præuertit euntem
Inclyta virtutum laudatrix fama tuarum.
Exſiliunt alacri extemplo præcordia motu

Læta virùm, quacunque leues pernicis habenas
Flexit equi. non aërias ſuſpenſa per arces
Æra ſilent, piceas populi non vrere tædas,
Aut viridi ceſſant edera circumdare poſtes.
Et fauſta ex oculis abeuntem voce ſequuntur.
Currenti adſpirent animis felicibus auræ,
Cedat Atlantiades leuibus talaria plantis,
Pegaſeo properet curſu, non alta tumenti
Flumina ſe fluctu obijciant, non cautibus horrens
Præruptis celeres tardet via deuia greſſus.
Iamq; iter incæptũ abſoluat, iam munere functus
Egregio ferat Auſonias ſe rurſus ad oras,
Et gratis auidas rumoribus impleat aures,
Non procul Herois magni ſola noſtra petentis
Quadrupedes volitare citos. Has Itala voces
Arua ſonant, has parua breui cum tempora lapſu
Tranſierint, repetet nymphis plaudentibus Iſter.
At quæ Viſtuleæ gelidis à fontibus vndæ
Vaſta Boryſthenium fines extendit ad amnem
Diues opum tellus, bellatricisq; iuuentæ
Vix primis excita auris, vix mota propinquæ
Ambiguo famæ appulſu, depromet ouanti
Cuncta animo exſultans iucundi gaudia ſenſus,
Depromet placidas pacati temporis artes.
Ac pars innocuo fictas certamine pugnas
Inſtruet, vrbano pars dulcia verba lepore
Imbuet, & pictis intendet vela theatris.
Argolicæ ſtabunt alibi ſua præmia luctæ,
Et rutilis circi ingentes ſternentur arenis.
Carceribus poſitis quoſdam, metaq. ſuprema
Nobilis ad varios excibit gloria curſus.
Omnibus idem ardor populis, tibi prodere læti
Signa animi, ac ſocios ſtudio exſuperare propin-
quos.
Verùm alias inter tantum caput exſeret vrbes
Mirificis operum formis Cracouia, quantum

Conſilio præſtante omnes, præſtantibus auſis
Magnanimos gētis proceres Rex maximus anteit
Illa tibi magnis operoſos ſumptibus arcus
Extruet, & veteres æquabit fornice moles,
Romulea qualem Solymum ſpectamus in vrbe
Inſignem ſpolijs, qualis Capitolia celſa
Stat prope Septimij claris ornata triumphis.
Sarmaticos glauco fluuios velamine pinget
Infima pars vrnæ innixos, lymphasq; fluentes,
Aut grauibus vinclis hoſtes, & mole recuruos
Impoſita. at ſpatio qua ſe faſtigia ſummo
Attollunt, varijs mire diſtincta figuris
Regia conſurgent Radiuilæ ſtemmata gentis.
Et laudis monumenta tuæ, quamquam illa labore
Sedula nequidquam anguſto ſolertia tentat
Claudere. conſpicies Olicæ felicia veſtro
Hic regna imperio, & proauos proauūq; parentes
Aurea promeritos armis victricibus aſtra.
Hic tibi tergemini concordia pectora fratres
Obijcient ſeſe, triplici quaſi lumine ſidus
Coſpicuum; ſimul ore tuos fulgente laceſſet
Intuitus patrij terror Zamoſcius hoſtis,
Et Graiæ decus, & Latiæ immortale Camœnæ
Parte alia tua magne tibi ſublimia facta
Occurrent, teneros pietas exculta per annos,
Euerſi Eumenidum ritus, gentesq; receptæ
Faucibus ex Orci miſeræ, quas fraude tyrannus
Tartareus patrio extorres arcebat Olympo.
Hic gelido crines flauos concreta rigore
Cernetur duros Liuonia ponere cultus,
Cernetur ſuperas tua per veſtigia ad arces
Ferre gradū, inq; artes incumbere Vilna decoras.
Hic tibi virtutum ſe candida turba tuarum
Adiunget comitem, & celebri captiua triumpho
Impia lethiferæ ducentur crimina culpæ,
Nec ſua mirandis aberunt ſimulacra repertis.

Improba perfractos oculos, atq. ora voluptas
Picta geret, lento langueſcet inertia ſomno,
Contrahet elatos inſana ſuperbia vultus,
Ipſa ſuos auidis abſumet dentibus artus
Inuidia, implacidi flammas vomet ira furoris,
Sordida pallenti macie confecta cupido
Optati ſpeciem referet iam concolor auri,
Et pinguis ventre ingluuies turgebit obeſo.
At contra in niuea ſplendeſcet candida palla
Alma fides veræ prætendens ſigna ſalutis.
Sidoniæ rutilo veſtis ſplendeſcet in oſtro,
Et geminos duplici pietas alet vbere natos.
Eriget ad cælum deiecto lumine palmas
viuida ſpes, vitæ æternum ſolamen acerbæ.
Aduerſo in ſpeculo obtutus immota ſilentes
Defiget regimen dubbij prudentia caſus.
Diſtricto ſcelerum pœnas minitabitur enſe.
Iuſtitia, & lances examine diriget æquo.
Perſpicuum inflexa laticem rorabit ab vrna
Humani indocilem ſenſus quæ temperat æſtum;
Et ſoror effracti pondus feret vltima ſaxi.
Tu radio caput auricomum ſeptemplice cinctus
Quadriugo incedes curru, ſuper aurea pennis
Plaudet, & emeritas fundet victoria palmas.
At vagus ingreſſum perculſa mente viator
Comprimet, & cupida percurrens ſingula luce
In tua veridicas flectet præconia voces.
Ipſe adeo te Martis honos, rarumq; colendi
Vrbibus exemplar iuſti Rex laude merentem
Efferet, & dictis decori decus addet amicis.
Nec fratrum pubes illi ſe clara tuorum
Officio anteferet grato, quamquam vnica ſolus
Germanis es vita tribus, caræq; viciſſim
Vſuram lucis vitalem carpis ab illis.
Hos probitas titulos, hos principis aura fauentis,
Et patriæ tibi ſpondet amor telluris honores.

Non tamen aut patulis ingens Lituania campis;
Aut Moſcho armipotens gens formidata fugaci
plauſibus Heſperiæ claris offuderit vmbras.
En quidquid pelago ſuperi maris vnda profuſo
Alluit, Etruſcæ quidquid perfunditur æſtu
Doridos, & celſis eſt alpibus interclusum,
Ominibus reſonat lætis. iam Lydia pulchri
Accola gens Arni, iam formoſiſſima Siren
Antiquos iterant numeros. te magna profundi
Hadriaci domitrix, antiquæ vrbs æmula Romæ,
Te Tiberis, ſeptemq; ſonant tua nomina colles.
Hanc primi procerũ lucem, hãc obſcura propago
Ignoti generis celebrant, vulgusque, patresq;
Te ſtudijs pariter cupidi concordibus optant.
Quare age quò ſuperi te iuſſa æterna parentis,
Quò tua te vocat auſpicijs fortuna ſecundis,
Sedibus antiquis iterum te redde Quiritum,
Et genio te redde tuo. Sat legibus æquis
Iam tibi compoſita extremis Liuonia terris,
Sat patriæ Regiq; datum, manet altera munus
Sparta tuum, manet alma Dei pietasq; fidesq;
Priſca patrum, nec te patriæ, Regiq; potenti
Relligio tamen eripiet, quin gratus vtrique
Plura abſens memori ſtudio benefacta repones,
Tu modo rumpe moras. venienti anguſta recludit
Se iàm Flaminia, & ſubmiſſo vertice montes
Septeni facilem ſternunt iuga ad ardua callem.

AD ALEXANDRVM CARDINALEM MONTALTVM.

MOenia qui quondam pinu contexta natanti
Magnus Erechthæis ductor cõſtruxit Athenis.

Et

Et regem regum pelago deuicit in alto,
Inclyta nobilibus laudum data præmia factis,
Quos animo ſtimulos addāt, quo incenſa perurāt
Pectora diuinæ penitus virtutis amore,
Per ſua commonuit ſeros exempla nepotes.
Ille vbi florentes ætatis contigit annos,
Et teneræ primam lanuginis induit vmbram,
Inſcius ingreſſu dudum nutante vacillans
Inſtituit dubios incerto tramite curſus.
Nam modò lethiferi pronum per deuia ſenſus
Illecebra abſtulerat dulci maleſuada voluptas.
Nunc iter inſiſtens durum vigilante labore
Aſſiduam ſtudijs operam nauabat honeſtis.
Qualis in aërio frondoſi vertice montis
Paulatim lento ſe ſtipite ſubijcit arbos,
Quæ ſimul aduerſo rumpentes cardine venti
Incubuere, leuis partes curuatur in ambas,
Vt rapida hinc illinc violentior incidit aura.
Ecce autem Graias celeberrima fama per vrbes
Barbarico Actæos manantes ſanguine campos,
Magnanimumq; ducem late, ſociosq; canebat.
Illicet inſinuans æterni nominis ardor
Ambiguos animi ſenſus, vitæq; prioris
Excutit ignauas torpenti è pectore curas.
Nec mora, ſeu tenebras nox atra inducit Olympo,
Seu rutilos oriens promit ſol gurgite currus,
Miltiades animo numquā, numquam excidit ipſis
Miltiades oculis, ſtat per veſtigia tanti
Clara viri excelſas ſuperùm cōtendere ad arces.
Stat patrium proferre decus. iamq; arduus illum
Extulerat cæli ad fulgentia ſidera callis,
Iam celebris merito geſtarum gloria rerum
Detulerat glande inſignem, roſtrisq; coronam.
Scilicet ætherium curſu quamquā impare limē
Natura ducente petunt mens optima noſtræ
Pars animæ, mentiq; decus ſortita propinquum,

Cui vigil ambitio, & rapidæ vis inſidet iræ.
Nam cum ſiderei patris diuina poteſtas
Inſerit æternas membra in mortalia formas,
Tergeminas illis vires, tria munera vitæ
Largitur, triplici diſtinguit limite ſedes.
Ac veluti ad metam curui per longa theatri
Contendit ſpatia ardenti certamine currus,
In ſtadij ſic tota ſui deſudat arena
Vita hominum, ſolio mens alto elata feroces
Flectit equos, agilesq; manu moderatur habenas.
Ante fremunt gemini valido in contraria niſu
Quadrupedes, dextra ætherias exſultat in auras
Candidus, & pulchro laudis furit incitus æſtu.
At læua inſani ſtudio niger actus amoris
Procumbit, terrasq; grauis defertur ad imas.
Nec domini imperiũ aurigæ, nec flagra veretur.
Ille acres duplicat plagas, artisq; magiſtræ
Munere luctantem ſubigit, lorisq; reductis
Obnixus cogit ſpumas agere ore cruentas.
Sed labor incaſſum cadat omnis, & irritus omnis
In ventos abeat monitus, ni attollat inertem
Ad ſuperos dextri virtus animoſa iugalis.
Hoc ſocio inſtaurat curſum, palmæq; perennis
Surgit ad optatum mens immortalis honorem.
An referam Macedum regem, qui fortibus auſis
Extremi imperium trans flumina protulit Indi?
An te Scipiadum columen, cui nobile nomen
Victa dedit Libyes arenis perfida tellus?
Huic laudes Cyri eximiæ, & celebrata venuſto
Cecropiæ calamo muſæ iniecere calentes
Facta animos; illum æterno cantatus Homero
Theſſalus exitium Troiæ flammauit Achilles.
Te quoque per titulos, per magni ingentia Sixti
Acta docet celſo contendere limite virtus.
Hoc te vix quinti ſubeuntem limina luſtri
Egit iter cælo propius. quæ barbara tellus

Non

Non tua longinquis præconia ſenſit in oris?
Cùm varijs procerum diſcors ſententia votis
Hæſit in ancipiti dudum, quem numinis aura
Poſceret omnipotens ſanctæ ad faſtigia Sedis.
In te animos, in te ora omnis conuerſa ſenatus
Rettulit, implicitis duce te via tuta reperta eſt
Conſilijs: tu afflante Deo pugnantia flectis
Vnanime in fœdus ſtudia, & das ſceptra merenti.
Non ſecus ac ſummis cũ proni è montibus amnes
Ingenti occurrunt fluuio, quos excipit amplo
Ille ſinu, & vaſtæ ſecum maris inuehit vndæ.
Quid memorem quanto probitas exercita cultu
Sit tibi? quot pietas gregibus ſuccurrat egentum?
Quasq; tibi Pallas, quas Phœbus præbeat artes?
Ante pedes tibi primus honos, & ſumma laborũ
Præmia, quæ læta vt detur contingere dextra
Ocyus, hæc cupidam ſuccendant carmina mentẽ
Carmina, quæ cultis Latij dictata Camœnis
Principis innumeros magni teſtantur honores.
Sic leuibus per fuſa olim fugit æquora plantis
Threiciæ telluris equus, quem calcar euntem
Impulit, & teneras vix vnguibus atterit herbas.
At procul increpitans ſonitu ſi forte canoro
Aereus admonuit lituus, iam lumina fallit
Spectantum, iam ſumma citis per gramina pennis
Euolat, & rapidos curſu præuertitur Euros.

AD CARD. CONSENTINVM Sixti V. Pont. Max. Prodatarium.

TE quoque Romulei decus immortale ſenatus
Flãmifero quacumque diem Sol exerit axe
Fama canit, laudesq; tuas ſuper æthera tollit.
Illa quidem magni titulos, & nomina Sixti
Immenſum properat late differre per orbem,

Et modo torpentes Boreali frigore terras
Peruolat, æſtifero Libyæ modo proxima Cancro
Arua tenet, meritisq; implet præſtantibus vrbes;
Non tamen aut ſcelus Auſonijs è ſedibus actum
Lethiferum memorare poteſt, aut reddita noſtris
Aurea temporibus felicis munera ſæcli,
Quin celebret tua facta ſimul, teq; adſerat vltro
Tantarum in partem laudum. Tu ſcilicet vnus
Mole laborantem magna terræque, poliq;
Vſque leuas, oneriq; humeros ſupponis amicos.
Tu comitum longe procerum fidiſſimus illi
Æternas agis excubias, & ſancta moraris
Dicta vigil, ſeu bella truces meditatur in hoſtes,
Seu populis dat iura pijs, & ſede reponit
Rurſus in antiqua pacem, rectumq; fidemque.
Ille tibi arcanos ſenſus, magniq; recludit
Ingentes animi curas, & fida viciſſim
Orſa libens bibit aure auida, quæ nectare dulci
Eloquij, rerumq; ſimul manantia fundis.
Sic pater omnipotens cæli radiantis in arce
Perpetuas ſæcli leges, ſeriemq; futuri
Conſilijs agitat magnis, comes adſidet vna
Æterno rerum genitrix ſapientia regi.
Hoc tantum tibi vita decus tranſacta per omne
Virtutum peperit ſpecimen, te hoc culmine celſo
Palladiæ ſtatuere artes, moresq; decori.
Nam ſimul ac lingua humanas inflectere voces
Paruulus, & dubijs cœpiſti inſiſtere plantis,
Ilicet ætherijs ingens tibi fulſit ab aſtris
Ingenium, quod ſpemq; ſuper, votumq; parentum
Protinus eximios iuueni ſpondebat honores.
Ergo alacri ſtudium curſu puerile capeſſens
Æquales (mora nulla) omnes, qui tramite eodem
Tendebant ardore pari, præuertis, & ipſos
Deſeris infirmos ſpatijs ingentibus annos,
Jamq; per effuſos volucrem facundia campos

Te

Te rapit, & linguæ tonitrus, fulmenq; cientem
In quaſcumque velis partes impellere corda
Dura docet, iam naturæ ſecreta parentis
Alta ſubis, & celſa poli conuexa pererras:
Vnde tot in lucem formæ, tot ſemina rerum
Exſurgunt, dulcisq; fluunt primordia vitæ.
Nec minus interea creſcentibus adfuit annis
Integritas, moresq; pij. non tanta pudoris
Gloria ſeruati Etruſcum comitatur ephebum,
Qui roſeos pulchro fœdauit vulnere vultus.
Non Pandioniæ talem ſenſiſtis Athenæ
Impia Theſiden damnantem vota nouercæ.
His tua ſe gradibus laudũ prima extulit ætas;
Hunc puer inſtiteras callem, cum plurima pubes
Præcipiti in vitium ſenſus raptatur ab æſtu.
Aſt vbi progreſſæ vires, & firmius æuum
Addidit ingenio robur, tum pectore in imo
Sancta tibi æternos ſapientia ſeuit amores.
Illius incenſus flammis noctemque, diemq;
Inuigilas ſtudijs cæleſtibus, omnia donec
Abdita diuinis luſtras myſteria chartis.
O dulces animi curæ, ò ſincera laborum
Gaudia, quæ ambroſijs mortalia pectora ſuccis
Paſcitis, & veros cæli inſpiratis amores.
Hic tibi tergemini natura immenſa Tonantis,
Hic ſuperum patuere chori, patuere ſalutis
Arcana humanæ, ſacriq; ex ordine ritus,
Et promiſſa animis in cælo præmia iuſtis.
Interea tantis ſors laudibus obtigit æqua,
Nam tuus ille Heros, tacito qui culmine villæ
Sepoſitæ natum imperijs, orbiq; regendo
Abdiderat ſe ſe, rerum ſuſcepit habenas
Inuitus, ſimul ille tuæ probitatis, & alti
Conſcius ingenij ſummo decorauit honorẹ
Promeritum, regniq; gradu in conſorte locauit.
Nempe miniſterijs ingentibus ardua verſas

Tu gemini momenta orbis, quocumque Latini
Porrigit imperij ſeſe diuina poteſtas.
Tu thalamis inceſta procul genialibus arces
Fœdera, te nati retinent auctore paternas
Diuitias, generiſq; decus. te incumbit in vnum
Cura ingens, vt templa Dei, legataq; ſanctis
Commoda pauperibus dignus tutanda ſacerdos
Suſcipiat, qui mente vigens, qui pectore purus
Ad cæleſtis iter pietatis prouocet vrbes.
Magna oneris pars iſta tui, quis cætera porrò
Dinumeret? rerumq; altos euoluat aceruos,
Quas tibi ſupplicibus gens toto ex orbe libellis
Ingerit, vt ſummi referas ad principis aures?
Cùm verò tot detineant tua pectora curæ,
Totq; obeas tam magna, tamẽ non hactenus vllus
Aut tua colloquio excluſus faſtidia carpſit,
Aut licet in vacuas ſpes irrita ceſſerit auras,
Optauit ſtudiumve tuum, mentemve benignam.
Felix quæ genuit tellus te patria, felix
Ante alias Itali Conſentia littoris oras
Diuinum te nacta ducem probitatis, & æqui.
Illa quidem magni poſt triſtia funera Flaui
Muricis amiſſum ſacri lugebat honorem,
Nec miſeræ ſolamen erat quòd proxima circum
Omnia mirandis præcelleret oppida donis,
Diues agri, fœcunda virûm, præclara Mineruæ
Artibus, inuicti ſtudijs celeberrima Martis;
Obruerat nam cuncta dolor, ſed luce repente
Fulgoris diſcuſſa tui fugere per auras
Nubila curarum, verſiq; in gaudia luctus.
Teſtis inaurata decurrens turbidus vnda
Crathis, & æternis ridentia floribus arua.
Teſtis amor populi concors, & plauſus, & vrbis
Publica pro cari paſtoris vota ſalute.
Eſt felix, ſitq; illa diu, ſed munere ſummi
Præcipuo cumulata Dei pulcherrima Roma,

Cui

Cui priſci virtute tua redduntur honores;
Quæ decus ingenij, cultæq; quæ flumina linguæ
Aurea te propter veteri non inuidet æuo.
Tu cœptam, bone, perge viã, perge inclyta laudũ
Nobilium monumenta nouis extendere factis:
Illam etiam quandoque diem longa afferet ætas
Cum ſolium in celſum euectus cæleſtibus auris,
Quæ vigil obſequio peragis nunc iuſſa fideli
Sollicito alterius trades obeunda labori.

OCTAVII CARDINALIS Aquauiuæ munus.

EXſpectata diu puppis, quæ munere magni
Octaui liquidas (ſi vera eſt fama) per vndas
Celtica fers menſis gratiſſima vina Latinis,
Qua ſegnis ſtatione ſedes? quo gurgite ponti
Optatis aduerſa meis te flabra morantur?
An pelagi nondum fluctus ingreſſa minaces
Pernicis Rhodani ad curuas teris ocia ripas?
An potius medio deprenſam durus in alto
Siue Ligur, ſeu quis Libyci maris accola prædo
Corripuit, patriasq; abiens abduxit in oras?
Ah ne gens tantum patrauerit impia crimen,
Ah cupidam fruſtra ne ſpes illexerit vrbem
Aduentus maleſida tui, te læta potentum
Accerſunt procerum crebris conuiuia votis,
Te vatum pia turba manet. quo rite Lyæo
Languentes reuocata ſalus in Principis artus
Te ſine? quo Latijs celebrabitur addita nuper
Ritibus Ægyptus, pugnæq; & fortibus armis
Pannonij iuuenis Thracum dux territus acer?
O tandem Etruſcis optata allabere terris
Et ſeptem te oſtende iugis. Te Romula pubes,
Te feret innumeris ad cælum laudibus hoſpes,
Ipſaq;

Ipſaq; ſidereo Nauis quæ fulget Olympo ;
Præcipuos deuicta tibi concedet honores.

FRANCISCI TOLETI Cardinalatus.

HOs tibi conſpicuos oſtri fulgentis amictus,
Hoc ingens Tolete decus, quo excelſa potentum
Romulei proceres æquant faſtigia regum,
Non titulis tumefacta domus, non gratia longum
Fluxa per obſequium domini collecta ſuperbi,
Aut magni ambitio quæſiuit prodiga cenſus.
Illa ego ſed terræ ingentes celebrata per oràs,
Per ſuperum celebrata plagas, illa optima rerum
Inuentrix, veræq. parens Sapientia vitæ
Magnorum tribui tibi præmia digna laborum.
Quis neſcit, quas prima tibi ſint acta per artes
Tempora? cui ſenior ſtudio inuigilauerit ætas?
Aſpice quà roſeos promit ſol gurgite currus,
Aſpice quà Heſperias feſſus deſcendit in vndas,
Hoc terræ, ac pelagi tantum pernicibus alis
Inclyta virtutum percurrit fama tuarum.
Te præſtans animi integritas, te inſigne perenni
Accumulat laude ingenium, tu munera vitæ
Rara ſimul geminæ felici amplecteris auſo.
An tibi ſe quiſquam naturæ arcana parentis
Cum retegis, volucresq; agitas ad ſidera pennas
Conferat? an rapidæ tonitrus, & fulmina linguæ
Exprimat, admonitu increpitans cũ feruidus acri
Immemores animas alti inſectaris Olympi,
Faucibus & medijs reuocas flammantis Auerni?
O decoris columen noſtri, ò telluris Iberæ
Gloria, iam belli æternis ornata triumphis,
Inuentis & clara meis te Corduba cælo
Attol-

Attollat, dupliciq; ſonet tua nomina Bætis
Littore, iam tantæ poſitor fortiſſimus vrbis
E nemore Elyſio famam, tituloſq; nepotis
Audiat, exſultetq; nouo Marcellus honore.
Audiat vmbra ſenis magni, quem ſacra ferentem
Nobilium celebres morum præcepta per vrbes,
Et cæli referantem aditus crudelis alumni
Immerſit letho impietas ingrata Neronis.
At tibi concordes felicis ſtamina vitæ
Nent Parcæ, luſtriſq; decus venientibus addunt.
Interea celſi ne flecte à tramite callis,
Neu ſtudijs abſiſte meis. Illa ipſa nitentes
Quæ modo Sidonio cinxi tibi murice crines,
Poſt longi decurſum æui, poſt reddita terris
Aurea priſcarum virtutum dona Latinis
Siderei ſuper alta poli te limina ſiſtam.

AD SCIPIONEM Card. Burgheſium cùm grauiter ægrotaret.

MVtua quàm raro veniant in fœdera nexu
Inſcia mens tumidi faſtus, rerumq. poteſtas
Suprema, immenſum crebro obſeruata per æuum
Mortales exempla monent. ſed maxima virtus
Hoc magis in ſe hominũ mirantia lumina flectit,
Accenditq; ſuæ diuinos laudis amores,
Quo minus eſt vſu in terris ſpectata frequenti.
Hinc velut effulgens conuexa per ardua ſidus
Luce nouum nitida, lapſumve ex æthere numen
Te tuus Æneadum populus, te Martia quiſquis
Incolit externis hoſpes iuga vectus ab oris
Attonita venerans defixus mente tuetur
Scipio, & vnanimi celebrat tua nomina plauſu.

Quod meritis nixam tantis, tot honoribus auctã
Fortunam, genio æternæ placidiſſimus vrbis
Incolumi grauitate doces ſubmittere faſces;
Et cumulas hilari benefacta ingentia vultu.
Magnanimum ſic priſca Titum ſuſpexerat ætas,
Sic natum Druſi inſignem, ſed diſpare fato
O vtinam, nec te ſæclis felicibus aſtra
Inuideant, morboq; graui tandem artubus ægris
Depulſo, quo iamdudum vexare, niteſcant
Sidereo rurſum igne oculi, pallentia rurſum
Alma ſalus roſeo tibi purpuret ora colore;
Et validas referat vires. hoc ſupplice cuncti
Voce rogant ſuperos, hoc tota mente precamur
Gaudia qui niti ſcimus te noſtra, tuoq;
Pontificis magni produci è ſtamine vitam.

SCIPIONIS COBELLVTII Cardinalatus.

Dignus honos doctis datur artibus. ite per omnem
Fertilis ingenij cultum vigilante labore
Addictæ ſtudijs animæ. iam vana perennis
Nominis ambitio, & celebris deliria famæ
Sidonium ſacræ veſtis mutantur in oſtrum.
Iam ſteriles ederæ, & vultus pallentis imago
Aurea ſub Paulo ſe in præmia principe vertunt.
Ordinis en veſtri è numero de ſtirpe vetuſta
Scipio Tyrrhenæ gentis, Vetulonia mater
Quo felix nato exultat, nouus emicat inter
Lumina Romani ſplendor veneranda ſenatus
Excelſæq; viam laudis, durumq; per alta
Aſpera conſcenſum non ſegnibus indicat, vnde
Ad tantum ſpe non dubia nitantur honorem.
Ille quidem primis vix dulcia pocula labris
Attigit,

Attigit, ætherio Pallas quæ fonte miniſtrat,
Cùm procul ignauæ illecebras, luſusq; iuuentæ
Reppulit, & miro Tritonidis arſit amore.
Non igitur placido maiorem demere partem
Peruigilans ſomno, appoſitæ non parcere menſæ,
Aut gelidas perferre hiemes dubitauit, & æſtum.
Sed cupida immoriens æternis mente libellis
Abſtitit incœpto numquam, feſſumve remiſit
Ingenium, donec naturæ arcana parentis
Omnia, & immenſi tenuit penetralia iuris,
Quasq; colūt Muſæ, & pietas quas edocet artes.
Nec ſtetit hanc labor ad metā, nā pectore ſacro
Condita ciuilem mox promere iuſſus in vſum,
Voce diu, calamoq; Italas miranda per vrbes
Edidit in magnis doctrinæ oracula rebus,
Ante omnes veri ſapiens conſultus, & æqui.
Et poterat requiete frui, cùm rurſus in altum
Se rate iam quaſſa pelagus, cæcosq; referri
Haud tulit inuitus ſcopulos, vt principis aulæ
Iactatus magno aſſiduis in munere curis,
Bis quinos actis præſtantibus adderet annos,
Contingens lætū emenſo tandem æquore portū.
Ergo alacres, quoſcunque operum pulcherrima merces,
Et prona in ſtudium mens incitat, ite per omnem
Fertilis ingenij cultum vigilante labore,
Et noua ferte pares meritorū ad præmia laudes.

AD ADVENAM LVDOVISIANOS hortos inuiſentem.

ALterius latos miraberis Aduena campos,
Nobiliumq; manu artificum ſpirantia ſigna
Regali congeſta domo. nos pauperis agri
Incolimus clauſos anguſtis finibus hortos,

Et

Et paruas modicis conſtructas ſumptibus ædes.
Sed breue ne ſpatium ruris, ne temne penates
Exiguos, fauet his etiam ſublimis ab arce
Siderea fulgens radijs felicibus æther.
Scilicet vt ſacræ nuper veſtigia plantæ
Intulit huc placido Princeps mitiſſimus ore
Gregorius, geniumq; loci, longèq; vagantem
Proſpectum, & puri laudauit luminis auras
Senſit humus, ſenſere lares gaudentis agelli
Numinis ingreſſum tanti, & certamine dulci
Hinc natura ſuos, hinc ars geminauit honores.
Iamq; nouis pingit viridantes floribus herbas
Lenis ab occiduo Zephyrus flans cardine cæli,
Iam grauis innumeris curuatur fœtibus arbor,
Largior & triplici manans de fonte Quirini
In noſtros properante ſinus pede labitur vnda.
Cerne tenet vario vt ſpectantum lumina luſu,
Vberibusq; cadit per longa vmbracula riuis.
Cerne micant ſubito quo tecta nitentia cultu,
Quas forma inſigni paries, quas fornicis alti
Obijciunt oculis miras conuexa figuras.
Nec tamen his humiles donis æquare potentũ
Effuſas meditamur opes, paruiq; receſſus
Illecebris animo laudem captamus inani
At Probitas ignara doli Pietasq; Fideſq;
Et blãdæ hoſpitibus. Charites, dulceſq; Camœnæ
Virgineos ſolitæ cœtus agitare per vmbras
Pontifici placitas magno, te candide ſaltem
Non minimo accendãt noſtri exoptamus amore.

AD FRANCISCVM CARD. BARBERINVM

Cum Patrui Pontificis Max. nomine in Galliam Legatus proficiſceretur.

HActenus ingētis Patrui;quo Principe rurſus
Aurea per Latias fulſerunt ſæcula terras
Hæſiſti lateri aſſiduus,partemq; ſupremi
Sumptus in imperij placidæ per tempora pacis
Te natum populis FRANCISCE, orbiq; regendo
Plurima virtutis miræ documenta dediſti,
Æternum meritus Romæ plaudentis amorem.
Nunc omnis ſubito armorum cōcuſſa tumultu
Ora ſubalpini tractus, Regumq; potentum
Diſcordes animis iniectæ ardentibus iræ,
Et trepidæ metus Auſoniæ, & pia iuſſa verendi
Pontificis maiora operum te ad munera poſcunt.
Scilicet exitium ſolus tu poſſe propinquum
Ac tanti cladem miſeris auertere belli
Flexanimæ linguæ eloquio, & vi crederis alti
Conſilij: te freta vno ſperare miniſtro
Maieſtas audet Sedis veneranda Latinæ
In ſæuam diſtricta necem iam tela furentum
Excutere è manibus, firmoq; in fœdera nexu
Infenſas poſitis odijs coniungere mentes.
Nec tu quo tua te virtus, quo publica dudum
Vota hominum,cæliq; vocat manifeſta voluntas
Magne iter vlterius differ. iam cærula fluctus
Subſternunt Tyrrhena tibi, iam curſibus alpes
Submittunt iuga celſa tuis, tellusq; fretumq;
Hunc pariter ſtudijs certantibus ambit honorem

At procul innumeris ſuperum celeberrima donis
Illa armis, opibusq; potens tibi Gallia lætos
Per populos, quacumque volans veſtigia flectes,
Hoſpitium Regale parat quæriturq; morantem
Magnanimus laudum Rex captus amore tuarum.
I propera, auſpicijs i fortunate ſecundis
Romanæ lux clara togæ, ſpes fida pauentis
Italiæ, tua nullus obex magna orſa retardet
Egregio nulla inuideant aduerſa labori
Optatæ euentum laudis. vade, aſpice, vince
Qua prece quà monitis diræ horrida femina flāmæ
Decurſamq; viam reditu celerante remenſus
Exime ſollicitam curis ingentibus vrbem
Perpetuæ referens nobis bona gaudia pacis.

GALLIAE PROSOPOPOEIA ad vrbem Romam eodem Card. in Italiam reuertente.

INnumeros quæ Roma mihi ſint acta per annos
In te animi eximium noſtri teſtantia cultum:
Sis opibus quibus. aucta meis: quantum aſpera bella
Dum gerimus trepidamq; pio te Marte tuemur
Sanguinis effuſum patrij, ventura loquentur
Sæcula, dum volucri raptum vertigine cælum
Aſtrorum nitidos ſecum circumferet ignes.
Indidit hos nobis ſenſus, hunc fixit in imo
Corde animum pietas, quo primùm tēpore ſacra
Antiqui abluimus labem genitoris in vnda
Hunc nullis properans decurſibus auferet ætas.
Nunc vero ne crede alto de pectore quidquam
Detractum ſummi quo te veneramur honoris,
Dilata ſi pace audis ſeptena reuerti.

Ad

Ad iuga diuinum Iuuenem, quo interprete diram
Speraſti ardentis belli reſtinguere flammam,
Et ſæuas Italis clades auertere terris
Speraui tecum ipſa etiam, precibusq; fauebam
Roma tuis, ſimul ac magnas vulgata per vrbes
Vincentem claræ aſpexi præconia famæ:
Aſpexi, dulcesq; hauſi quas nectare puro
Perfuſas illi dictat prudentia voces.
Et iam magnanimi Regis pia pectora flecti
Senſerat, & captum ſua blande in vota trahebat,
Cum fortunati ſucceſſibus inuida cœpti
Dira nouos animis diſcordia ſubdidit ignes,
Et placidis mites clauſit ſermonibus aures.
Maxima ſed meritis quæ debita gratia tantis
Mente ſedet memori, latas quacumque per oras
Alpinis mea regna iugis, celſaq; Pyrene
Cinguntur, geminiq; maris ſpumantibus vndis,
Attollet FRANCISCE tuũ ſuper æthera nomen,
Attollet quæ laude abiens celebranda perenni
Inclyta virtutis diuinæ exempla relinquis.
Te quoque, tot quondã nobis impẽſa benignus
Qui cumulo benefacta recens ingente propagas
Proq; pijs vigilem populis geris optime curam
Perpetuò victurus honos VRBANE ſequetur.
Nec lætũ fors tempus abeſt, ſic omina firment
Proſpera Cælicolæ, quo maximus orbis vterque
Rex monitis æterna tuis in fœdera iuncti
Bella truces conuerſa ferant pietatis in hoſtes,
Et modò iacta tibi felicis ſemina pacis
Optatos videas largè reddentia fructus.

AD FERDINANDVM Gonzagam Mantuæ Ducem Roma abeuntem.

FAtidicæ in veterẽ Mantus vocat inclyte ſedẽ
Dux regni te cura tui, coniuxq; ſororq;
Cæſaris in magni thalamos ducenda maritos.
I felix & amœna lacus vbi littora tanges,
Nobilibus fœtam ingenijs qui circuit vrbem,
Dic tecum: Quas ò dilecti ad Tibridis amnem
Æterno egregias animas mihi fœdere iunctas,
Quæ mentis præclara altæ monumenta reliqui.
Illa meæ tellus altrix veneranda iuuentæ:
Illa tot illecebras inter, faſtusq; ſuperbæ
Fortunæ, mirata pio virtutis amore
Flagrantem, mirata dies, noctesq; decoris
Intentum ſtudijs ſacro circumdedit oſtro
Flauentes mihi læta comas, & prodiga laudum
M gnanimis ſtimulos ardentes addidit auſis:
Et iam deprenſas veterum nulli ire per artes
Ingreſſus, latebris naturæ obducta profundis
Tentabam nitida veri perfundere luce.
Iam noua per facilem primus compendia cliuum
Monſtrabam dulces Pindi florentis ad vndas;
Vix roſeum dubia ſpargens lanugine vultum.
Nec vero antiquos in me exuit optima ſenſus
Roma, nec officijs vmquam non certat amicis,
Nam modo in inuitũ quos nõ congeſſit honores?
Aut quas non fudit me diſcedente querelas?
Sed tu præcipuè ante oculos mihi maxime ſẽper
Pontificum verſaris honos, quo priſca Senatus
Vindice iura ſacer, libertatemq; recepit.
Tuq; decus Patruo ingenti ſortite propiuquum

Auſo-

Auſoniæ Ludouice iubar. vos pectore noſtro,
Sint rerum quæcumque vices, nullũ eximet æuũ,
Nulla prement veſtras ingrata obliuia laudes:
Interea lætæ opperior dum tempora lucis,
Qua meritis dignas tantis perſoluere grates
Parte mihi ex aliqua liceat, tibi proſpera cuncta
Vrbs orbis regina precor, populoq; tuisq;
Principibus, quorum felix ſub numine viuis.

AD VRBEM ROMAM in aduentu Vladislai Poloniæ Principis.

THreicij terrorem hoſtis, clarumq; triũpho
Bis domiti iuuenẽ Moſchi, iam læta tueris
Optaſti quod Roma diù, fruerisq; benigno
Principis affatu & ſublimi in fronte refulgens
Nobile tot Regum ſpecimen veneraris auorum.
Hic placido cunctos qui nunc mitiſſimus ore
Allicit, & veteris ſacra vrbis templa pererrans
Cæleſtis tecum vitæ pius excolit artes,
Hic ſæuæ in medio nuper diſcrimine pugnæ
Innumeras equitum contra, peditumq; cateruas
Tela ferox inimica volans per denſa, ruensq;
Ingentem ferro cæſorum ſtrauit aceruum,
Et pauidæ dare terga fugæ, crudele minantem
Sarmatico exitium Regi populisq; tyrannum
Compulit, ac turpes Byzanti in mollibus hortis
Inter ſemiuiros latebras optare miniſtros.
Nec, ſi vera canunt vates Rexq; altus Olympi
Annuit hoc noſtro decus indelebile ſæclo
Sperandum ductore alio florentia quondam
Regna Aſiæ, Graiasq; vrbes, Solymamq;, ſacrũq;
Iordanem, & magni felicia ſaxa ſepulchri

Aſſerere antiquos in libertatis honores,
Et veri ſuperûm cultus extendere fines.
Hos lætos rerum euentus, hæc publica vota
Pontificum venerandus apex, regni vna Latini
Spes, agitans mente VRBANVS venientis honori
Terrarum non parcus opes, cæliq; profudit.
Necdum etiam tribuiſſe putat ſe ingẽtibus æqua
Promeritis, teneros illi quæ geſta per annos
Dum ſubeunt, animumq; inuictũ obſeruat, & altæ
Conſcia virtutis prodeuntes pectora voces.
Iamq; nequit dulci expleri ſermone loquentis,
Et cupidus narrantem audit modò bella ſecundis
Magno exhauſta Patri ſuperis, repetitaq; priſci
Imperij iura in populos, vrbesq; receptas.
Et modo parta ſibi metuendo ex hoſte trophæa
Vel tumidas armis cum Volgæ exterruit vndas,
Addidit & ſceptris victor noua regna paternis,
Vel maleſida tuos cum per Moldauia campos
Obijcere Oſmani ſe immenſis viribus auſum
Seruatam lætum in patriam celebremq; reuexit
Gloria, quæ celſo in labaro Crucis alta pẽpẽdit.
Audit, facundo & tacitus dependet ab ore.
Tùm longos meditata dies in magna viciſſim
Conſilia, & ſenſus admiſſum ducit in imos,
Inq; operum partem tanta vocat indole dignam.
Nec ſe oneri non ille parem, cũ tempora poſcent,
Offeret, aut ſacri pia Principis omina fallet.
Interea patrias remeare inuitus ad arces
Cogitur, & gratis Latij decedere terris.
Tu breue lætitiæ tempus quodcumque fugacis
Reſtat adhuc, rape Roma, abitũ ſolata propinquũ
Vocibus & fauſtis curſum comitator euntis.
I decus Europæ eximium, nec fortibus auſis
Nec recti ſtudio, ac iuſti minor Hercule Princeps.
Te vitæ in biuio florentis tramite fruſtra
Dulcibus aggreſſa illecebris deterruit alto

Virtutis duræ aſcenſu maleſuada voluptas .
Te quoque biſſeni manet inclyta fama laboris
I felix, fortiq; doma monſtra impia dextra ,
Mox vbi Pontifice à magno terraq; mariq;
Militiæ impoſitus ſacræ , victricibus armis
Fregeris Eoas acies , orbiq; timendum
Occiduo dira immanem feritate draconem ,
Æterna meritæ in terris ornabere laude ,
Vaſtæ humeros olim preſſus quòd pondere molis
Aſtrigerum magni qui ſuſtinet ætheris axem
Auſonius verum te Alcidem ſenſerit Atlas.

LIBER III.

GREGORIANVM
in vrbe Roma Collegium.

REgifico exſtructas ſumptu quas ire ſub aſtra
Vrbe vides media ſaxis candentibus ædes,
Atriaq; excelſo complecti ingentia muro,
Non has deſidiæ turpi maleſuada voluptas
Mollibus indecores thalamis molitur, & hortis,
Ambitio non vana animi, fluxæq; cupido
Laudis, & effuſo ventoſa ſuperbia cenſu
Attollit, verum ipſa ſuis pulcherrima rerum
Condit opus manibus Pietas, quod vertere nullis
Annorum ſpatijs auſit longæua vetuſtas,
Ne dubites, gemina indicijs tibi ſigna decoris
Præfulgent, foribusq; domus cernuntur in altis.
Terna nitent dextra Graijs elementa figuris
Æternæ magnum ſobolis prodentia nomen.
Purpureus læua ſpectantibus obijcit vmbo
Conſpicuum forma atque auro rutilãte dracone.
At latum interior quem continet area campum
Sedula multiplicis ratio virtutis in vſum
Format, & ingenijs accommoda tecta colendis
Dædala per varios dirimit ſtructura receſſus.
Hæc ſimplex animi ſplendentia limina candor
Incolet, & ſolidæ vnanimis concordia pacis.
Has pudor inſiſtet ſedes, & conſcia veri
Relligio, fideiq; vigil tolerantia cuſtos.

In medio latices nitido de fonte perennes
Diues inexhauſtis fundet ſapientia riuis.
Qualis in ætherio cæli inuariabilis orbe
Perpetuam venis felicibus elicit vndam,
Et ſuperum lympha puras alit vbere mentes.
Egregia circum aſſiduus de gente miniſter
Inuigilans ſacris turbas excludet inertes
Poſtibus, & vitrei diuino munere roris
Arcebit ſegnes animos, adituq; patenti
Ingenuam accipiet fæcunda ad pocula pubem.
Illa frequens, niueo denſi velut agmine cycni
Optato aduolitant fluuio,& ſe margine condunt,
Confluet, & dulces auido petet ore liquores.
Necdum etiam pleno gelidi ſe gurgitis hauſtu
Proluit, & labris ceſſit ſitientibus ardor,
Sæua procul miſeræ fugient contagia mentis,
Et pulchrum docili ſub pectore gliſcet honeſtū,
Iamq; puer prima ingrediens per lubrica vitæ
Inſcius, & dubijs errans anfractibus æui,
Induet ingentes animos, cæliq; micantes
Corde globos agitans,& præmia magna merentū
Improba deſpiciet vani ludibria ſenſus.
Nec mores hauſiſſe ſatis, certamq; viriles
Ante annos tenuiſſe viam ſublimis Olympi,
Palladis æternos idem ſectatus honores
Perſpicuis doctas è fontibus ebibet artes,
Cecropij quaſcumque ſoli, quaſcumque Latini
Littoris, & Phariæ coluit telluris alumnus.
Quin & palmiferæ voces imitatus Idumes
Nectareas, & verba Deo famulata loquenti
Priſcorum alloquio patrum, ſanctiſq; fruetur
Vatibus, & refugi puro Iordanis ab amne
Vertet ad Auſonias diuina oracula terras.
Tum Tiberim, notaſq; arces poſt longa reuiſens
Tempora ſuſpenſo greſſu mirabitur hoſpes,
Hic vbi congeſtis laribus numeroſa Quiritum

Gens coluit paruos anguſta in ſede penates,
Et vili durata manus plebeia labore
Informi ſonitu perculſas contudit aures,
Nunc pia flexanimo vitæ præcepta beatæ
Formari eloquio, nunc magnæ arcana parentis
In lucem ſecreta trahi, priſcisq; relictis
Collibus Aonias ſedem poſuiſſe ſorores.
Scilicet & dulci tollet ſe carmine ad aſtra
Docta cohors, ſuperûq; patrē,-& benefacta piorū
Sæpe canet, canet illa tuas ante omnia laudes
Proxime cælicolis Princeps, quo culmina tantæ
Auſpice conſurgunt molis. Tu magne furentes
Compeſcis populos, & prœlia vertis in hoſtem
Impia. Tu iuſtis orbem moderaris habenis
Terrarum, cæliq; potens. Tu iura Latino
Reſtituis Solio, templisq;, & fontibus vrbem
Condecoras, cultuq; pio. Tibi lecta propago
Cogitur aduerſo lati de cardine mundi
In varios quos ipſe lares ingentibus auges
Diuitijs, veriq; ſimul ſtudioſa, probique
Paulatim patrium obliuiſcitur aſpera morem;
Viue diu, placidusq; tuos Pater aſpice fœtus.
Talia dulciſonis numeris præclara iuuentus
Cōmemorās, merito in primis celebrabit honore
Aemula Socraticis ſpatijs, cultoq; Lyceo
Virtutis noua templa piæ. Simul aure canoros
Fama modos cupida excipiens quacumque ſonāti
Immenſum pelago terras circumfluit æquor,
Romuleas repetet gratis concentibus ædes.
Fortunatæ ædes, vobis creſcentibus vltro
Ardua ſepteni ſubmittunt culmina montes,
Celſaq; decedunt Capitoli tecta propinqui.
Vos operoſa manus nexu deuincit aheno,
Vt leuis intactas curſus præteruolet æui.
Quòd ſi præcipiti lapſu rota feruida mundi,
Sæclorumq; vices ſeriesq; incerta futuri

Diruat

Diruat immeritas, & rudere contegat alto,
Veſtra tamẽ decora, & geminũ celebrata per orbẽ
Nomina doctiloquo inſignis modulamine cantus
Bencius æternos olim tranſmittet in annos.

PARÆNESIS
Ex antiquo Carmine Pythagoreo
ad
ODOARDVM FARNESIVM
Alexandri Parmę Ducis F.

QVæ vitæ memoranda olim præcepta beatæ
Docta ſenẽ perhibet Samiũ liquiſſe vetuſtas,
perlege, ſunt facilis non præmia parua laboris.
Hic tibi quò patruæ ſublimi tramite laudis
Regia magnanimum ſoboles Odoarde parentum
Diuinam celſæ properes virtutis ad arcem,
Candida veridicis aderit ſapientia dictis.
Tela procul, ſonitumq; tubæ, Martemq; ſequatur
Belligeri adſpirans frater genitoris ad arma,
Et validas pulchri vires exerceat æui;
Dulcia tranquillæ foueant nos otia vitæ,
Et placidas animi ſtudium referamus ad artes.
Principio teneræ inſideat ſententia menti,
Dimoueat quam nulla dies, ſuper omnia regem
Cælicolum ſumma æternum pietate colendum.
Hic terræ, pelagiq; parens, hic conditor alti
Aetheris, hunc ſtabili greſſu contendit ad vnum
Qui cupit ad veræ fontem conſurgere lucis,

Marmoreis non ille quidem ſua numina templis
Auertit, procerum non aurea dona potentum
Reſpuit, aut meritos laudum contemnit honores.
Sed nullo magis omnipotens in vota precantum
Munere ſe duci patitur, quàm ſimplice cordis
Mundicie, caſtiq; metu cuſtode pudoris.
Hinc tua ſe primum pietas attollere cælo
Incipiat, laudum prima hinc ducatur origo.
Tum ſuperum precibus mentes inflecte minorum,
Quos Pater, aſtrigerum cæli cum conderet axem,
Indigetes alti ciues delegit Olympi.
Horum pars duri per mille pericula lethi
Exactæ memores lucis, dum tabida membra
Induerent, hominum curas miſerantur acerbas,
Et ſcelerum veniam expoſcunt, finemq; laborum,
Pars etiam celeres ventos, & fulmina pennis
Tranſuolitant, ſummiq; ferunt mandata Tonãtis.
Aut vaga perpetuo voluentes ſidera motu
Sæcula mortales formas in longa propagant,
Seq; viris, populiſq; duces ingentibus addunt.
Hinc orbem ſtellante plaga delapſus ad imum,
Cærula quē liquido circumfluit æquore Tethys,
Egregias venerare animas, quæ corpore nondum
Terrigeno, ſenſuq; graui exceſſere diremptæ.
Sunt quibus hanc vitæ lucem debemus, & ortum,
Sunt pia cælicolum lecti ad delubra miniſtri,
Legibus hi populos iuſtis, hi fortibus armis
Cuſtodes placida vigiles in pace tuentur.
Quorum diſparibus meritis ex ordine dignos
Diuidat obſequium cultus inſignis honores.
Non tamen interea dulces labantur amici
Ex animo, tibi concordi quos fœdere iunxit
Mutua virtutis nodo ſociata voluntas,
Hos vbi blandiloqua interdum te voce monentes
Audieris, placida ſermones aure fideles

Excipe, & ad laudem curſu præuerte volucri.
Aduerſæ veluti cum ſe inſtruxere phalanges,
Martius & litui ſonus increpat, acer Iberæ
Gentis equus vix ille tubas, alacremq; propinqui
Audijt hinnitum ſocij, rapit alite planta
Vltrò equitem, primæq; petit ſibi præmia pugnæ.
Quòd ſi cui fortè imprudens illuſerit error,
Tēq; leuis tumidam lapſus proritet ad iram,
Sedulus implacidum cordis compeſce furorem;
Nec properes artos animorum ſoluere nexus,
His bonus officijs homines tibi iunge, Deumque.
Iam verò compone tui ſic pectoris omnes
Interius latebras, ea ſenſibus inijce fræna,
Vt ſolio reſidens animus ſublimis in alto
Hinc ſomni, ventriſq; luem compeſcat inertis,
Hinc premat incenſos ad iurgia ſanguinis ignes.
Somnus in ignaua torpentes detinet vmbra,
Ingeniumq; ſitu, & rubigine conficit atra.
Haurit edax auido fortunas gurgite luxus
Antiquas, ſubditq; faces, & pabula cæcis
Praua cupidinibus, iamq; æſtu flagrat amorum
Impia mens vetito, iam fraude extorquet iniqua,
Rurſus in ingluuiem tætram quod prodigat aurū.
At grauis indomitæ violentia perfurit iræ,
Horribileſq; minas, & verbera ſæua, neceſq;
Conduplicans in bella rapit crudelia ciues,
Et conſanguinea reſpergit cæde penates.
Illa quoque ingentes populos, terraq; mariq;
Inter ſe infenſis adigit concurrere telis,
Atque odijs captas hoſtilibus eruit vrbes.
Rumpe moras, tantiſq; celer præcidere cauſas
Tende malis, ne putre animo ſi inſederit vlcus
Admoueat fruſtra medicas Epidaurius herbas.
Ante oculos tibi ſola dies, noctesq; moretur
Inclyta virtutum ſeries, quas inter honeſto
Aurea iuſtitiæ præfulget lumine lampas,

Et rutilis totum decorat ſplendoribus orbem.
Qualis ab Eoa ſe roſcidus exſerit vnda
Lucifer, & cæli æternos intermicat ignes,
Fœcundo irradians pelagus, terrasq; nitore.
Hæc genus humanum per deuia luſtra, per agros
Aſſuetum duro nemorum requieſcere dorſo,
Et vitam præda in ſiluis tolerare cruenta,
Legibus excoluit ſanctis; terrasq; per omnes
Ardua præcinxit ſublimibus oppida muris.
Hanc operũ quæcunque geres adſciſce magiſtrã;
Hanc veris comitem fidam ſermonibus opta.
Nec tua flagitijs fœdentur turpibus vnquam
Pectora, ſeu ſocium tibi ſuggerit improbus error,
Siue procul cœtu populi verſaris ab omni.
At ſimul inſinuans animo væſana cupido
Incipit æſtifero ſenſus ferueſcere motu,
Te pudor ingenuus, te proxima numinis alti
Maieſtas puer iniuſtis deterreat orſis.
Nam tua mens taciti ſemper ſibi conſcia facti,
Nec magnum latet vlla Deum res. ille per omnes
Terrarum tractus, per cæli funditur auras,
Quæq; gerunt homines, alto quæ corde volutant
Aſpicit, & prona voces legit aure ſilentes.
Ergo operum quidquid moliris dirige certa
Ad ſolidum ratione bonum, nec longa tenaci
Te mora deceptum vitio immedicabile Circes
Faucibus aſſueſcat miſeris haurire venenum.
Concita nam volucris circum rota vertitur anni,
Et rapidum celerant fugientia tempora lethum,
Quod dulcem vitæ mortalibus inuidet auram,
Nec finit ex animo antiquas euellere culpas.
Præcipuè caue ne fului tibi pulchra metalli
Imponat ſpecies, opibusq; affixa caducis
Aura diuitijs mens immortalibus erret.
Sed tibi quæ proauum ſunt cõmoda parta labore
Frugalem vitæ ſolertia vertat in vſum.

Et partem in miſeros pietas impendat egentes.
Hoc tibi ſidereæ fœnus lucrabitur aulæ:
Theſauros, quos nulla annis properantibus ætas,
Nulla poteſt cupidi vis deprædarier hoſtis.
Si rutili interea quidquam fors æris aceruos
Imminuat, fluxoq; tumens opulentia cenſu
Alterius temerè ignotas demigret in ædes,
Ne dura te ſorte premi, neu crede beatam
Inuidiſſe tibi cæleſtia numina vitam,
Id magis ingenio tecum meditare ſagaci,
A vero procul eſſe bono, quæ flamine paruo
Mobilit aurai leuiter perculſa vacillant,
Et ſæclo intereunt properè detrita fugaci.
Hæc tamen ignarum vulgus longe optima rerum
Dictitat, & cæli media putat arce locatum,
Cui ſplendés opibus colitur domus alta ſuperbis.
Plurima ſed ſonitu paſſim funduntur inani
Verba, quibus plebe in miſera grauis excitus error
Immenſum tacita ſerpit contage per orbem.
Non ſecus ac tætris olim ſublata lacunis
Noxia vicinas primum vis inficit auras,
Tum rapidæ in morem flãmæ circum omnia latè
Corripit, ac ſæuo populatur funere terras.
Nec tamen abnuerim plauſu quin multa frequẽti
Dicta volent populi cunctas celebrata per oras.
Vnde ſuos virtus ſopita exſuſcitat ignes,
Et patrias longo exilio reuocamur ad arces.
At rudis ambiguo mens capta errore viarum
Pro certis plerumque bonis amplectitur vmbras,
Ni calcata premens pedibus veſtigia ſanctis
Heroum ſtolidæ vitet commercia turbæ.
Haſce mihi tu inſiſte vias & cautus ad omnes
Sirenum illecebras lenta ſenſum obſtrue cera,
Et ſæui ſcopulos lethàles effuge ponti.
Peruia non multis fateor te ſemita in artum
Cogit iter, ſed prona tibi lata omnia cernes.

Si nihil imprudens rerum aggrediare priuſquam
Singula conſilio ſint explorata fideli.
Nam ſi nulla tuum munit prudentia pectus,
Et celeri te in cuncta gradu temerarius infers,
Quid mirũ eſt,abſurda operũ ſi euenta ſequantur,
Et placiti partes actus dolor occupet imas?
Sed neque ſat rerũ ingeniũ dignoſcere cuiquã,
Vt ſciat inuigilare bonis, abſiſtere prauis,
Ni ſimul ancipiti vires expendere lance,
Quas dedit ars illi, aut genitrix natura, laboret.
Atque equidẽ memorare tibi facta inclyta poſsũ
Plurima, quæ ſæcli virtus inuicta prioris
Ignauo liquit generi admiranda nepotum.
Illa tamen numero in tanto vix vnus, & alter
Inceſſu trepido inſequimur, paſſimq; veremur
Magnanimis vacuus ne diſcrepet exitus auſis.
Nonne igitur ſatius fuerit, librare ferendæ
Molis onus,pariterq; humeros,quã põdere preſsũ
Turpiter impoſitis demum ſuccumbere rebus?
Scilicet is pœna grauiter plectendus amara,
Ingreditur temerè ignoti qui muneris artem,
Sèq; viris nullo ingenio ſapientibus æquum
Dum putat,admonitus æger contemnit amicos.
Tu contra fugito inſanæ leuis inſtitor auræ
Tegmine mendaces falſo proponere merces,
Et ratio quod nulla tibi monſtrauit, & vſus,
Alterius ſtudio ne dedignare doceri.
Nam ſcelere infando, & rabida vexatur Erinny
Qui præbere viris melioribus abnegat aures,
Sic facilè impuræ vitans opprobria culpæ
Ad magnas nunquam res inconſultus adibis.
At quãquã eſt animi pulcherrima cura colẽdi,
Non tamen obſcuri tibi terrea corporis vmbra,
Vt grauis æthereæ ſpernatur ſarcina mentis.
Sed Lacheſis dum ſæua iubet, dum carcere tætro
Clauderis, inuiſos membris auertere morbos

Nitere,

Nitere, ne melior pariter natura fatiſcat.
Id Bacchi,Cererisq; tibi, duriq; laboris
Præſtabunt certo concluſi limite fines.
Nã procul à medio quæ flexa vtrinque recedunt,
Diſſimiii in vitium regione extrema feruntur.
Et breuis hinc illinc virtutem terminus vrget,
Quem prætergreditur nunquã ſincera voluptas.
Nec tantum fragile ad robur, viresq; tuendas
Corporeas arceſſe modũ. modus omnibus idem
Eſt formæ, decorisq; dator, quæ lumine cælum
Progenerat, doctæq; vigil labor inuenit artis.
Vt verò æternæ virtutis ad ardua greſſum
Templa queas facili ſecurum tendere cliuo,
Hunc nulla ex animo rapiant obliuia morem,
Vt quoties radijs exorta ſilentibus aſtra
Suadebunt dulcis ſolatia carpere ſomni,
Ante ſoporiferi ne vis languoris in artus
Obrepat, memori quàm ter meditata reuoluas
Pectore, ſunt horis tibi quæ patrata diurnis.
Quod ſcelus infelix manibus? quòd mẽte peregi
Iniuſta facinus? quæ turpia verba profudi?
An ne aliquid veræ ad normã probitatis, & æqui
Adſpirante Deo geſsi? num munere functus
Sum, pietas quod obire iubet, legesq; verendæ.
Hæc tecum aſſidua repetẽs indagine quidquid
Interiore boni fuerit ſermone repertum,
Amplexare libens iterum, cultuq; frequenti
In morem tranſire doce, ſin improba facta
Scrutanti occurrunt, noxas abolere nefandas
Incipe, nec vigili pigeat te inſiſtere cura,
Contractam donec lethali à crimine labem
Elueris, puroq; animus candore niteſcat.
Quod tibi ſi magni rex annuet altus Olympi,
Tum poteris ſuperas felix conſcendere ſedes,
Et ſummi diuina tueberis ora parentis,
Vnde auras vitæ dulces mortalia ſæcla,

Vnde quatergeminas vires, motumq; perennem
Aeternæ accipiunt animæ, cæloq; fruuntur.
Sed prius effuſis precibus venerator ad aras,
Vt faueant iuſtis cæleſtia numina votis,
Mox aude per celſa poli conuexa vocanti
Auſpicibus fretus ſuperis te credere vento.
Iamq;ſuper volucres Zephyros,ſuper ignea mūdi
Mœnia, & aduerſis rutilantia ſidera flammis,
Alta vides arcana Dei. Deus omnia rerum
Naturæ, ſuperumq; tibi miracula pandit.
Aligeras mentes illic, quas corporis atri
Vincula compedibus duris non vlla coercent,
Comminus obtutu gaudes ſpectare propinquo.
Illinc flammiferos orbes, numerumq; recenſes
Aſtrorum, terraſq; humiles, liquidiq; profundum
Aequoris, & miſeras populorum deſpicis vrbes.
Nempe vides quantis errans incerta periclis
Per varias hominum iactetur vita procellas.
Hos agit ambitio præceps, hos liuor amaris
Concutit inuidiæ ſtimulis. torquetur habendi
Plurima pars ſtudio, ſunt quos inſana peruric
Ignauæ ſoboles Veneris, turpiſq; libido.
Nec genus infelix cæca bona proxima luce
Reſpicimus, noctiſve vmbras fugitamus opacæ,
Quin primo nobis naſcentibus inſita ab ortu
Noxia prouehimus lethalis ſemina litis.
Ac teretis vario impulſu de more cylindri
Ex alijs alias ſemper verſamur ad artes.
O diuum pater, ò hominū, qui cardine ab alto
Aetheris humanæ dura infortunia gentis,
Et curas acie vigili deprendis inanes,
Vel tibi fulmineis immania monſtra malorum
Ictibus obſcuras Erebi trudantur ad vmbras,
Vel priſcæ memores patriæ nos clara tueri
Da vultus ſimulacra tui, quæ mentibus auctor
Imprimis omnipotens,cum ſemine condita nullo

In-

Inſpiras homini diuinæ lumina formæ.
Nam cæcas pelagi in Syrtes, in ſæua charybdis
Præcipites ferimur lacera diſcrimina puppi.
Et rapidis fruſtra vitiorum obnitimur vadis.
Sed neque tu deſponde animũ, neu deſere certã
Spem puer, eſt tibi quandoquidem cæleſtis origo,
Et veterum claro deducta à ſanguine regum
Nobilitas pulchræ inflammat te laudis amore,
Virtute accumulans proauũ monumenta recenti.
En decus antiqui generis Farneſius heros,
Cui ſacra præcipuos nũc purpura debet honores,
Per ſua te docet ad ſuperos exempla reuerti.
Hũc ſequere obſeruãs tacitus, quibus ille iuuẽtæ
Artibus ad cælum primos direxerit annos,
Quem callem inſtiterit ſenior, dum lubrica vitæ
Declinat, meritisq; omnes præſtantibus anteit.
Hoc duce diſsidijs animum, ſenſumq; rebellem
Siſte procul, curſumq; æui, quem diſpare niſu
Indomiti certant rapere in diuerſa iugales,
Diuinæ imperio rationis trade regendum.
Sic vbi depoſito ſe corpore liber ad auras
Spiritus ætherias pernicibus efferet alis,
Ambroſiæ ſaturum potu immortalia diuum
Gaudia te excipient, lethiq; inamabilis exſors
Inſolito ſplendens augebis numine cælum.

GENETHLIACVS
DE DIVINATIONE ex aſtris.

O Nexus rerum æterni, atque arcana parentis
Naturæ ſeries, quam fati immobilis ordo
Illigat,

Illigat, & ſolido amplectens adamante coërcet.
Quæ miſeras hominum tam dira inſania mentes
Vexat, & inuiſas ſuperis abducit ad artes?
Vt latebris altè in veſtris, in nocte profunda
Temporis ignotos venturi exquirere caſus,
Et ſacras auſint parcarum euoluere leges?
Nempe tenent celſam mundi inuariabilis arcem
Proxima cælicolum felicia numina regi,
Quæ neque corporeis membris onerata fatiſcunt,
Nec tætras imæ norunt caliginis vmbras.
Non tamen anfractus æui, curſumq; futuri
Perſpicua poſſunt animi deprendere luce.
Nos miſeri ſoboles infortunata Promethei,
Cui grauis incumbit non æquo pondere tellus,
Omnis & in tenebris vitæ traducitur ætas,
Quid fruſtra petimus cælum, ſecretaq; Diuum
Obliquo toties vani ſcrutamur in orbe,
Et vaga metimur ſtudijs fallacibus aſtra?
An nitidos Phœbi radios, axemq; micantem
Vix ferat aſpiciens contra regina volucrum,
Lucifugæ tueantur aues, quæ nocte ſilenti
Omina deſertis repetunt feralia tectis?
Nos tamen ingratas agitantes pectore curas,
Proxima cùm ſenſu vix vſurpemus inerti,
Eminus æthereijs oculos intendimus oris,
Perq; Deum ſedes, & lucida templa vagantes
Perſequimur toto fugientia ſidera cælo.
Nonne vides humana modis vt corda fatiget
Innumeris labor, & cupidæ ſolertia mentis?
Arduus hic ſummi exſuperans faſtigia tecti
Extulit ingentem radium, & conuerſus ad Arcton
Tellurem varijs diuiſam ſubijcit aſtris.
Ille ſedens patrij ſolus prope flumina Nili
Nocte ſuper media late ſpatiatus aperto
Æthere ſtellarum caſus obſeruat, & ortus.
Nam ſummo rutilant quædam de culmine cæli,

Præ-

Præcipites aliæ tenebras voluuntur ad imas.
Hæ nitidum iubar extollunt de flumine Gangis,
Heſperio properant illæ ſe mergere ponto.
Quid verò qui parua ſibi ſimulacra per artem
Conficiunt, ſpatijsq; locant duodena propinquis
Sidera, & incertis errantia ſedibus aſtra?
Cernis, vt anguſta molem incluſere figura
Ingentem, immenſam, & rapido conuerſa rotatu
Exiguis finxere globis rutilantia ſigna?
Cernis, vt in varijs defixi motibus hærent,
Et tacitis vigiles oculis conuexa tuentur
Ardua, quæ magni oſtentat plaga lucida mundi?
Hi tibi venturos prædicent nubibus imbres,
Et celeres ventos, & ſæui fulminis ictus,
Hi miranda canent orientum fata virorum,
Et decora, & ſtudia & fugientis tempora vitæ.
Ecquos præterea incaſſum exhauſiſſe labores
Eſt ſuper? ignotum ratibus tranauimus æquor,
Vidimus oppoſitas alio ſub cardine gentes,
Obruimus liquidas iniectis molibus vndas,
Oceanum terris induximus, humida ponti
Per vada ſecuro tulimus veſtigia greſſu,
Arte viam pandente, maris quam nulla profundi
Effera vis, poſſent nulli intercludere venti.
Exciſi in tumulos montes, effoſa ſub imis
Viſceribus tellus, eductaq; marmora cælo,
Et creuere pares excelſis montibus arces.
Non ſatis hæc, etiam nulli temerata Deorum
Nitimur è ſacris adytis efferre ſub auras
Fatorum arcana, & ſummi decreta parentis.
An Deus æthereis ventura inſcripſit in aſtris?
Aut magni ſecreta animi per ſigna, per orbes
Sidereos paſſim in cælo diſperſa locauit?
Quis vero, ſi cuncta polo cælauit in alto
Ille opifex rerum mundi naſcentis ab ortu,
Quis numero innumeros ignes incluſit Olympi?

Aut cui ſepoſito paruæ telluris ab orbe
Naturam, & ſpeciem, & varios ediſcere motus
Stellarum, & miras licuit cognoſcere vires?
Num ſeries longinqua æui, & diuturna vetuſtas
Obſeruata legens multos exempla per annos
Paulatim ſacras in lucem pretulit artes?
An magis id ratio, & mentis vis abnuit altæ?
Nam neque terrarum partes potuere per omnes
Singula naſcentum fata, atque euenta notari,
Nec paribus cælo ſtellis fulgentibus orti
Conſimili vitam letho clauſere ſupremam.
Aut totidem ex æquo luces videre, nec illis
Lubrica concordi arriſit fortuna tenore.
  Præterea quis certa poteſt exempla vetuſti
Temporis inſpicere, & ſæclis aptare futuris,
Si vario ſemper fluxerunt ſidera motu?
Aſpice, luminibus qui ſecum picta coruſcis
Signa trahens celeri vertigine labitur orbis,
Vt partem exiguam curſus peragrauerit alti,
Tardus ad Eoas dum circumuoluitur oras.
Aſpice, quo trepidet motu, incertusq; pererret,
Dum geminos iter ambiguum molitur ad axes.
  Verũ age,ſit numero ex hominum,cui Iuppiter (ipſe
Aut Iouis Vranie ſoboles oſtenderit orbes
Orbibus implicitos, & lumine clara nitenti
Noſſe ſuis dederit penitus cum viribus aſtra.
Non tamen indicijs poterit depromere certis
Qui mare, qui terras maneant, qui nubila caſus,
Et miſeris ortu à primo mortalibus inſtent.
Nam rudis ætherio vitam quæ carpit ab igne
Materies agitata fluit, motuq; perenni
Nunc ſe ſe in ſpeciẽ hanc vertit, nunc induit illã.
Hinc paribus quamquam radijs ſpectetur ab ijſdẽ
Sideribus, non illa tamen vim ſuſcipit æquam
Luminis, aut faciem ſemper mutatur in vnam,
Sed ſubit in varias vario pro corpore formas.

Quæq;

Quæq; prius liquidum caſu concreuit in imbrem,
Cum redeunt eadem ſpatijs æqualibus aſtra
Soluitur in tenues fulgentis luminis auras.
Quod ſi nulla queunt cæli præſagia motum
Proſpicere aurarum incertum terræq;, marisq;,
Quis potis eſt hominum ventura recludere fata,
Nobilitat pulchra quos libertate voluntas?
Sit ſua ſideribus virtus, ſtent iura potentum
Parcarum, & validis nectant elementa catenis,
Ipſi etiam ſenſusq; animæ, cordisq; cupido
Stellarum non ſponte ſua momenta ſequantur,
Mens tamen interea ſublimi è ſtirpe Deorum
Cæleſti formata manu ſe interrita fato
Obijcit, & victrix ſurgentibus imperat aſtris.
Ille, viden'? patrij qui paruo à flumine Rheni
Etruſcũ ad Tiberim, & Romanas vectus ad arces
Caniciem triplici ſacram diademate cingit,
Et placidis lætum moderatur legibus orbem,
Conſilij quàm ſe ſe alti munimine tutum
Reddit ab influxu æthereo, & vim demit Olympo
In ſolidæ laudis ſtatione immobilis hærens.
Nec minus interea longæua ætate ſuperſtes
Fatidicum pergit falſas eludere voces,
Et populis profert felicibus aurea ſæcla,
Lethifer excelſo quamuis ſe cardine Mauors
Oſtentans radijs hoſtilibus inficit ortum,
Et negat infelix longos Horoſcopus annos.
Securos agit ille dies, ſenioq; ſupremo
Lætus aget, numeroq; virum, tectisq; domorum
Innumeris auctam cernet ſe principe Romam.
Et dubitamus adhuc vanis inhibere repertis
Aſſenſum, monitusq; leues contemnere vatum?
Ac breue ſollicitis curis abſumimus æuum?
Quin potius, ſi tantus amor ſub corde reſedit
Explorare Deum latebras, operumq; miniſtros
Tantorum luſtrare globos, cæloq; vagari,
Huc

Huc alacres tendamus iter, quo tramite recto
Nos vocat omnigenæ naturæ lucidus ordo;
Et vitæ fons alma fides, greſſuq; volucri
Corporeã ſuper hanc molem, ſuper aſtra feramur,
Et puras ſine labe animas, rerumq; parentem
Nitamur clara propius contingere luce,
Vt poſtquam rapidi impendens violentia fati
Mortales olim nos ponere iuſſerit artus,
Cælicolum in ſedem geminis nos efferat alis
Hinc pietas, illinc doctæ ſapientia mentis.
Dumq; fluent celeres ſinuoſis flexibus anni,
Et ſpatium longi æternum durauerit æui,
Perpetuo Patris immenſi ſplendore fruamur.

PYTHAGOREVS

DE RECTA AD SAPIENTIAM via.

IAm tibi tranſactum Samij quinquenne magiſtri
Eſſe reor ſpatium, tacitaq; in mente repoſtas
Doctrinæ ſapientis opes depromere tempus.
FAC me hodie cœpiſſe fabas horrere, vel illum
Finge ſatum Crœſo iuuenem, quem barbara fandi
Edidit indocilem genitrix, tamen ira, dolorq;
Rumperet ignauæ circumdata vincula linguæ.
Nam quis præcipites mores, detractaq; prauis
Fræna cupidinibus non inſectetur acerbæ
Verberibus linguæ, ſceleratаq; ſæcula damnet?
HAud equidẽ hoc volui, nec tanta in crimina ſerũ
Declamatorem poſco. Sed noſcere ſi quid
De noſtri ratione animi, de mentibus altis
Cælicolũ, primo aut de numine cuncta regentis,

Permiſſum tibi, ne inuideas male parcus amicis.
Hoc peto. VIN' tabulæ enormi, carieq; vetuſta
Rimisq; & nodis exſtantibus vndique turpi
Stultus Apellæa ductos credam arte colores?
Vis lanæ maculis infectæ, & ſordibus oſtrum
Inducã Tyrium? remoue, ac deterge quod obſtat
Et radijs penitus veræ illuſtrabere lucis.
DIFficile eſt ipſum ſe noſſe, & plurima quemque
Vos præter ſuperis æquos deformia fallunt.
Nec ſi forte aliquis norit ſe, protinus artem
Calleat, ex turpi quæ reddere poſſit honeſtum.
Ergo oſtende mihi tu me, atque obſtantia tolle
Qui bonus & ſapiens audis. SPES magna ſalutis,
Cùm morbum timet, & medici curã exigit æger.
EXIgo, & officium digna mercede reponam.
IPſa ſibi merces virtus. ſed quanta ſub imo
Pectore circumſtent miſeram diſcrimina vitam
Præcipe, ne ad ferrum, flammamq; ignauior artus
Hoc egeant ſi forte neges præbere medenti.
FAre age, & ignaro quæ tanta pericula monſtra.
SCIS hominem magni vinclum mirabile mundi,
Et geminas animæ partes, quarum altera cælo
Affinis ratione viget, bruto altera ſenſu
Noxia terrenæ præfert contagia molis.
NIL mihi tã crebro auditũ, & quo exordia longe
Ducta cadant, auidè expecto. NVM cõditor orbis
Omnipotens nullo cenſes diſcrimine iuſti
Ordinis abſimiles adeo concurrere formas
Iuſſit? & incertus ſanciuit fœdera caſus?
SI credam, morbo Anticyram poſcente laborem,
RItè negas. tanti porrò lex maxima nexus,
Vt vitæ ſortita decus, munusq; regendæ
Pars melior fines homini præſcribat, & actus,
Deterior nutus vigilans obſeruet heriles,
Et celeri obſequio excipiat mandata iubentis.
Ordine in hoc vita eſt animæ, quod ſi arma rebellis

Corripit, & regni expoſcit ſibi iura cupido,
Si ratio obluctatur iners, ſenſimq; ſubacta
Iniuſtum ceruice iugum miſeranda recepit,
Iā bone quid dubitas animæ impendere ſupremū
Exitium? tua nunc paulum in ſecreta recede,
Ac tecum diſquire ſagax, num tætra libido
Ambitioque, auriq; fames, & liuor, & ira
In te aliquid poſſint, rectoq; à tramite pellant.
An potius mentis virtus inuicta reſiſtat.
Sed certè trutina mendax ni expendis iniqua
Affectus, moreſq; tuos, te ac decipis ipſe,
Nil veri iamdudum hominis fateare relictum
In te. quid refert etenim ſpectere figura
Præditus humana, ſi ſus, draco, vipera, tigris
Es vita, & nullo mentis perfungeris vſu?
Quid palles! MIſer inſueta formidine pridem
Terreor, hæc veris adytis ne oracula fundas,
Perniciēq; animo intueor trepidante propinquā.
Quòd te per numeri veneranda arcana quaterni,
Per genium ſupplex oro, vitaſq; renati
Pythagoræ, cladem extremam defende, nouumq;
Exue me infandis vitiorum Protea monſtris.
POſcis opem, confide feram, modò numinis adſit
Auſpicium, ſed abeſt numquam bona vera petēti.
Nunc ſatis effectum, interea tua ſedulus acri
Excute cūcta animo rurſus mala, & abdita profer,
Vt tempeſtiuus cura præſente recidam.

CAL-

CALLISTHENES
De immodico laudis, & potentiæ ſtudio.

TRadiderit quamuis regi te doctus alumno
Nicomachi natus, qui res conſcibere geſtas
Magnanimi iuuenis poſſis, Macedumq; triumphis
Addere victuras numeroſa in ſæcula laudes,
Ni tamen impoſito compreſſeris indice voces
Moribus infenſas dudum populique, duciſque,
Valde equidem vereor, paruo ne barbara buſto
Ante diem tellus Calliſthenis integat oſſa.
SIVE tegar, ſeu præda feris caniburq; relinquar
Nil moueor, certo figam modo tramite greſſum
Qua ratio, & virtus animi liberrima ducunt.
SI ratio virtuſq; mouent, cur debita reddi
Præmia diuini herois præſtantibus actis
Indignare? genu cur flexo, & vertice prono
Cernis adorantem ſi quem, grauiore cachinno
Excipis, & dictis irriſum carpis amaris?
QVIS ferat oblitos patriæ, oblitoſq; vetuſti
Nominis, & decoris, poſt regna euerſa, domumq;
Stirpis Achemeniæ, & promotũ Gangis ad vndã
Pellæum imperium, cultu, rituq; ſubactæ
Pollutos gentis diro ſeruire tyranno?
Et libitum pro lege pati? VÆ ſi impia verba
Deferat hæc aliquis miſero tibi. SCIlicet illò
Mittar, vbi Elyſijs campis adiudicat vmbras
Inſontes Minos, quo tot præcedere nuper
Principis inclemens feritas me iuſſit amicos.
CONtemnis mortẽ abſentem, ſi aſpexeris ingens
Corripiet te forte pauor. SIBI conſcia turpis

Mens

Mens trepidet noxæ, corpuſq; inuita relinquat.
Non ego, qui finem iuſtis lethum eſſe malorum
Et ſcio, & ignaros doceo. TE verbere tortor,
Te cuneis, vnguiq; ferus diſcerpet acuto.
ME nunquam, aſt animæ obtegitur quo incluſa ſepulchrum.
Tortorem is timeat, quem tu veneraris, & horres
Ambitione, odio, liuore, libidine, & ira
Sectus ad interni imperium crudele tyranni.
Se licet æthetio prognatum ſemine iactet
Improbus, ac diuum ſacras adſpiret ad aras
Matris adulterium faſſus. QVID Liber, & ille
Quem veræ exemplar non ceſſas tollere laudis
Alcides, geminumq; iubar virtutis Achiuæ
Ledæi iuuenes, non ſe genitoribus ortos
Dixerunt ſuperis? quorum ſi facta vetuſtas
Proferat, & verbis oneret mendacibus aures,
Haud quiſquã numero ex illo immortalia noſtri
Exequet monumenta dei. SCElerate quid audes
In cælum? pepulere illi monſtra horrida terris,
Inſtituere rudes populos, ſanxere verendas
Iuſtitiæ leges, pacemq; tulere per orbem,
Huic fera Tiſiphone inſanum, geminæq; ſorores
Egere in miſeras vrbes. hunc laudis inane
Fallacis ſtudium, regniq; immenſa cupido
Eiecere domo, flammaq; & fontibus armis
Funditus innumeras docuere excindere gentes
An memorem nullo meriti diſcrimine fuſas
Immanes Orientis opes? & regia turpi
Vertenda in cineres prætoria tradita ſcorto?
An damnata diù in ſpeciem commercia dicam
Inceſti probroſa tori, & crudelibus empta
Inſontum pœnis ſecti oſcula fœda Bagoæ
Cuncta ſed immitis vincit fera facta tyranni
Hoſpita ſacra inter lætæ inter munera menſæ
Dum laudes nomenq; patris perferre maligna

Aure

Aure nequit telo furtim inuaſiſſe cruento
Et ſtrauiſſe ſolo examinem quo proximus olim
Ipſe neci vitam ſolo tutante redemit?
Has ne decet reddi grates? hoc ſæue rependis
Sanguine quod primis vt te nutriret ab annis
Lac ſoror vberibus miſeri germana profudit?
Nec negat infandum facinus qui ſuſtulit haſtam
In ſe rorantem cæde infelicis amici,
Abſtinuitq; diu dapibus lucemq; refugit,
Atque vtinam ducibus Perſis congreſſus iniqua
Ad Granicum pugna vulnus lethale ferentem
Senſiſſet Clito fruſtra auxiliante ſecurim,
Aut gelida incenſos artus dum perluit vnda
Submerſum rapidus traxiſſet in æquora Cydnus,
Non ego tot gentis poſt funera ſæua Pelaſgæ
Nunc te etiam Emathiæ ductor fortiſſime pubis
Criminibus fictis, & proditione tuorum
Parmenio extinctum flerem, non te optime diris
Nate modis lacerum miles crudelis iniquo
Iudicio, & lapidum duro oppreſiſſet aceruo.
Nec tamen ille ſibi noſtro de ſanguine ſumptũ
Supplicij ſatis eſſe putat. iam ridet Hydaſpem
Tranſmiſſum, & Graijs penetratũ claſſibus Indũ,
Oceani vaſtas temerarius ire per vndas
Apparat & noſtro obuerſum tranſite ſub axem.
Quem tot vexatum pelagi terræq; periclis
Credis in antiquam patriam, dulceſq; reuerti
Poſſe lares? video iam nunc fera fata cadentum
Quà ferro graſſantis heri, quà fluctibus alti
Æquoris, & merſas ignoto in gurgite puppes.
O miſeri, longos tandem quo fine labores
Claudimus! ætheriam cælo cui reddimus auram?
NE dubita, moriere cito, qui tanta procaci
Obloquio iacis in magnum conuicia regem.
SIS precor ò verus vates. Sed ſæua minantur
Et caueam, & longas anguſto in carcere ſordes

Aſtra mihi . tamen illa eadẽ quàm triſte ſuperbo
Portendant Regi exitium, Regisq; cohorti
Accipe. Vix læuo Babylonia tecta ſubibit.
Omine nequidquã monitus, cum fraude clientis
Pocula tartareo ſumens infecta veneno
Humani excedet generis feralis Enyo.
Diſcordes regnum ſocij rapientque, trahentque
Sorte inita in partes varias, mox fœdere rupto
Aſpera ſanguineis miſcebunt prælia dextris,
Mutua pernicies donec, cladesq; furentum
Concuſſi pendant orbis pro crimine pœnas.

IN LIBROS
NICOLAI CONTARENI
de perfectione rerum.

O Qui ſollicita volucris te indagine mentis,
Corporeæ quamquã molis tardante laboras
Pondere, ad ætherias attollere niteris auras,
Et modo naturæ denſis adoperta tenebris
Prima ſagax auida perquirens ſemina luce,
Ambiguo pede carpis iter, quà priſca vetuſtas
Aut vocat, aut culti ducunt ſpatia ampla Lycei.
Et modo venturos hominum prodentia caſus
Sidera in anguſtæ ſpeciem contracta figuræ
Conſulis; & rapidi curſum metiris Olympi,
Huc age, mobilibus greſſum per inania pennis
Dirige, qua ſuperas ſe Contarenus ad arces
Extulit, & leuibus liquit veſtigia plantis,
Ille nihil mortale agitans pernicibus alis
Tergeminas cæli emenſus variabilis oras
Alta ſuper conuexa poli, ſuper ignea templa,
Et fortunatos animis ſublimibus orbes

Intima

Intima in æternum conuertit lumina regem,
Omnia qui iuſtis late moderatur habenis.
Hunc vbi diuini complexus munere amoris
Inſolita miræ lucis caligine tectum
Attigit, & radios arcani luminis hauſit,
Ingentes reſerauit opes, quas maximus alto
Ille hominũ, diuumq; parens ſub pectore ſeruat.
Nam quæcunque ſinu complectitur vbere tellus,
Et mare cæruleum ſpumantibus educat vndis
Aetheria quæcunque plaga, & felicibus oris
Aſtra vident ſuperum longis orientia ſæclis,
Illa per æternos æui immutabils annos
Stant animo concluſa Dei, Deus illa latenti
Ante mare, & terras, ante omnia tempora partu
Edidit innumeris in lucem prædita formis.
Quare age ſublimes pennis euectus ad auras,
Qua tibi conſpicui præfulget ſemita callis,
Ingredere excelſi flammantia mœnia mundi,
Perque domos ſuperum veſtigia ſacra ſecutus
Immenſum immenſæ Naturæ agnoſce parentem,
Vnde tibi rutili æternis cum mentibus orbes,
Et pateant elementa ſuas variantia formas,
Veraque perpetuæ contingas gaudia vitæ.

IN LIBROS ACADEMICARVM Contemplationum Stephani Theupoli.

Illa diu Graias olim celebrata per vrbes,
Cælicolum quæ afflata Deum vitalibus auris
Surgebat celſis platanus lætiſſima ramis,
Cuius in ingenti ſæclis melioribus vmbra
Illuſtres animæ antiquas attollere pennas,
Et volucri ad cælum curſu didicere reuerti,

Poſtquam longa dies, belliq; inſana libido
Barbarico Actæos vaſtauit milite campos,
Et furor ingenuas ſimul eruit impius artes,
Ignota tellure procul contempta latebat
Fœda ſitu informi, & ſquallentibus abdita dumis.
Cùm iuuenis claroq; Hadriacæ de ſanguine gentis
Theupolus inſigni laudum perculſus amore
Cecropias inter flexit veſtigia ſiluas,
Perſpicuo quà fonte cadens placidiſſimus amnis
Effluit, & volucri fugiens per gramina riuo
Nũc quoque diuinos Phædri meditatur amores.
Hic nemoris denſi contectam horrentibus vmbris
Sideream plantam ſtudio, cultuq; recenti
Rurſus in antiquum formæ tranſire nitorem,
Et ramis docuit felicibus ire per auras,
Optatam æterna referens è fronde coronam.
Salue magna Ducũ ſoboles; cui nomen auitum,
Gloria cui longos generis deducta per annos
Eximium tribuere decus; ſed clarior effert
Inſignis dulci ſapientia parta labore.
Te vaga longinquas terrarum fama per oras
Indum vltra, Gadesq; feret, tibi maxima ponti
Vrbs domitrix meritos olim decernet honores,
Et tua perpetuis inſcribet nomina faſtis.

AD HIERONYMVM Aleandrum.

NEc tam fœcundo lætos arat vbere campos
Magna altrix quondam Heſperiæ Trinacria tellus,
Fertilitas nec tanta ſoli, quod in æquora tendens
Tuſca ſecat rapido maletutus gurgite Liris,
Vt niſi ſollicito vigil vrgeat arua labore
Agricola, & ſulcis lectæ det ſemina frugis

Non lolium, & ſteriles meſſem fruſtrentur ariſtæ.
Quam vero depoſcit opem, curamq; coloni
Aſſiduam non ſegnis ager, depoſcit eandem
Ingenium pariter noſtrum, ſi excellere laude
Doctrinæ, eloquijq; velit ſæclisq; futuris
Annorum ſpernente fugam innoteſcere fama
Nempe ferax tellus mens eſt, cui ſorte benigna
Iudicium ſtudijs ſublimibus obtigit aptum.
Semina, ab egregijs ſunt quæ documẽta magiſtris
Accipimus, fructus olim latura perennes.
Eſt labor agricolæ demum, quæſita diurnis,
Nocturnis quæſita animi ſapientia curis.
Cur igitur noſtris Aleander docte videmus
Temporibus prodire operum tam rara ſub auras
Nobiliũ monumenta, quibus rurſum Itala ſurgat
Gloria ad antiquos æui felicis honores?
An quæ perniciem morbi popularis in omnem
Auſoniam radijs nuper fudere malignis
Sidera, & innumeris funeſtant luctibus vrbes
Illa eadem ſacras quo euertant funditus artes,
Inſuetum immiſere animis inimica veternum?
Haud reor, aſſensũq; negãt, quæ plurima paſſim
Nominibus, titulisq; nouis nos ſcripta morantur
Corruptos luxu ingenij referentia mores.
Nec res vlla magis noſtro decus inuidet æuo
Quam flexa in molles mortalia pectora cultus.
Ergo vbi laudatum priſcis horrere voluptas
Improba nos docuit rigidæ virtutis amorem,
Er damnare palam leges eſt auſa ſeueras
Præcipitem paribus fatis traxere ruinam
Mentis opes doctæ, & præſtans facundia linguę.
Iamq; (nefas) iterum poſt tẽpora longa reperti
Qui magnum per inane rotant terrasq; fretumq;
Sideris in morem volucris, mediaq; moueri
Sede vetant vaſti radiantem lampada mundi.
Quæ vero nitidi ſpatijs vulgata Lycei

Extulit in cælum tot conſtans fama per annos
Digna putant, ipſo quæ cum inuentore releget
Anticyram ſapiētum hominū ſententia concors.
Parte alia extremis Belgarum in finibus ortus
Auribus ignotum noſtris inuexit in oras
Sermonem Latias, vano quem capta lepore
Protinus arripuit iam deprauata iuuentus,
Arripuere ipſi culpa grauiore magiſtri.
Palladiæ fons ille etiam quis crederet! vndæ
Quo recti nitidos, veriq; hauſtura liquores
Confluit antiqui proles generoſa Quirini
Sedula peruigili ſtudio ni cura reſiſtat
Sentiet occulta dulcis contage veneni
Ire ſibi infectos ſitientum in pocula riuos.
Exoriare igitur quantumlibet æthere felix
Adſpirante tibi, quem mox ſectabere certum
Doctrinæ fandiq; ducem? cui mollior ætas
Fingendum ſe ſe antè dabit, quàm creta volucrē
Vda rotam, doctasq; manus tractata recuſet?
Hæc manifeſta mali, & prima eſt Aleāder origo
Cum ſeges ingenij non infœcunda beatis
Præceptis, cultuque caret potiora docentum,
Nec fœtus animi informes alit æmula virtus.
Altera progreſſus noſtros quæ cauſa retardat
Eſt fruſtra ſperatus honos, longumq; laboris
Contempti ſtudium parcæq; ad præmia dextræ.
Nam quota noſtrorū procerū pars noſcere curat
Quē celebrēt muſę herōū? quę accōmoda magnis
Vrbibus hiſtoriæ prodant exempla regendis?
Quæ ve ſagax ratio depreñſa indagine longa
Rerum naturæ, ac cæli ſecreta recludat?
En ego perpetuis quem tu inſectare querelis
Quod calamo parcam Latio patiarq; perire
Affingis quas ipſe tuas mihi prodige laudes,
Aggreſſus quoties ingentia condere bella
Eximijq; Ducis palmas attollere cælo

Indixi

Indixi inuitus male grata ſilentia chartis?
Ad placidas quoties cunctantis Principis aures
Vota preceſq; tuli incaſſum, ne arcana negaret
Acta mihi, quibus imperij ſacra tela verendi
Prōpta pari pietate animi,& mox condita poſſem
Eximere inuidiæ, & vulgi compeſcere voces?
Præterea intentata mihi via nulla relicta eſt,
Nullum non moui lapidem, ne turpiter olim
Ignaua arguerer triuiſſe per ocia tempus.
Proſpera ſed magnis rebar quæ flamina cœptis
Aut ſegni nocuere mora, aut diſcrimine ſummo
In ſcopulos ſyrteſq; mari me egere latentes.
Te quoque tot doctis ornas qui noſtra libellis
Sæcula, tot vera hauſiſti pro laude labores
Quo non implacidi vexarunt turbine venti?
Nil igitur ſatius fuerit quàm linquere inanes
Denique inexpertis curas, altæq; quietis
In tutum rate iam lacera nos condere portum.
Quo ſpes nulla aditum fallax mœrorve metuſve
Anxius, aut ægræ inueniant mala gaudia mentis,
Aeternas hominum patitur quas vita procellas.

AD IOANNEM BELLONVM De Socratica verum ad lumen conuerſione, & poeticæ artis vtilitate.

DVm patrio procul à cælo, ſuperumq; beatis
Agminibus duri arcetur mēs cōpede ſenſus,
Et ſedet obſcuro vitæ mortalis in antro;
Illam, ſi tantæ miſerans incommoda cladis
Exemptam grauibus vinclis, ductamq; ſub auras
Protinus ad rutilum ſapientia vertat Olympum,
Attonita inſueto paueat ſplendore, diuque

Luminibus terræ trepidantibus hæreat imæ,
Nec ſemel antiquas tenebras, & carceris atri
Depoſcat miſeros ſibi reddi exterrita nexus.
Ante igitur veri quàm flammea lumina Solis
Et ſuperum tentet radios perferre micantes,
Ambiguum ſplendorem inter, confuſaq; rerum
Præcipitur viſu incerto per ſpectra vagari,
Et parua ingentes in imagine cernere cauſas,
Donec ſidereo paulatim aſſueta nitori
Audeat excelſos oculis errare per orbes,
Et triplicis denſa tectum caligine lucis
Immenſum ſtabili Titana exquirere cælo:
Huc ſe luminibus puris, huc tollere niſu
Mens volucri, vnde ortũ duxit, iam libera certat.
Cùm verò defeſſa oneri ſe ſubtrahit, & cùm
Abſumptus vigor eſt alis, roburq; parandum.
Quæ potius putet apta ſuis ſolatia curis,
Quàm quibus Aonij felices fontis ad vndas
Perfruitur vatum lectiſſima turba piorum?
Hos Graij petiere patres, petiere Latini
Seceſſus, hos grata Deo dilexit Idume.
Sic ſacra inſignis cithara, ſceptroq; potenti
Admiranda æui rex prodidit acta futuri.
Sic linguæ decus Auſoniæ, lumenq; Pelaſgæ
Gentis Ariſtocles tetricæ adiunxere Mineruæ
Condita Pierijs cæleſtia carmina Muſis.
Tu quoq; ne aſtrigeras animo ſublatus ad arces
Perpetui ſub mole operis Bellone fatiſcas,
Alterna exhauſtas ſolare per ocia vires,
Et nitidos Pindi delabere lætus in hortos,
Vnde tibi æterna intexas è fronde coronam,
Et repetas celſum leuioribus æthera pennis.

NICOLAI GRATIAE proſopopœia ad ſtudioſam humanæ ſapientiæ iuuentutem.

Felices animæ, primo quas flore iuuentæ
Dulcis amor veri, & laudũ generoſa cupido
Sollicitant, operiq; comes labor improbus vrget,
Si vos vlla mouet pietas, ſi triſtia rapti
Ante diem lacrymis perfundunt fata ſodalis,
Parcite præſcriptos homini tranſcendere fines,
Parcite. non cuiquam fas eſt penetrare latentes
Naturæ, cæliq; vias, vaga ſidera teſtor,
Et vos, quæ rerum cauſas, quæ ſemina Parcæ
Nouiſtis, ſuperumq; domos, arcanaq; fata
Cernitis, hac olim temerata lege Prometheus
Inſuetos tentare dolos, adytisq; recluſis
Aetherias auſus furtim conſcendere ſedes
Magnanimi Iouis ardentes in ſe impulit iras
Infelix, gelidaq; diu de rupe pependit.
Me quoque dum nimio laudis ſucceuſus amore
Aſtrorum varios obitus contemplor, & ortus,
Primaq; naſcentis perquiro exordia mundi,
Ipſe Deum pater omnipotens florentibus annis
Corripuit letho, volucresq; emiſit in auras.

VILLA TVSCVLANA Marcelli Veſtrij Barbiani.

FOrmoſo impoſitos colli ne crede penates
Mortali creuiſſe manu, Latonius illos
Aeternis Phœbus numeris eduxit in auras,
Et mira adiunxit raro ornamenta labori.
Aſpice, candenti fulgens quà vertice moles
Oſtendit celſas late venientibus ædes,
Aſpice, qua interior ſe ſe domus ordine longo
Hoſpitis in varios pulcherrima diuidit vſus.
Plurima ſuſpenſo attonitus mirabere greſſu
Diuinum tanti artificis teſtantia numen.
Conſpicuos hos ille lares, hæc dædala tecta
Marcello extruxit, memorabile munus alumno,
Marcello, quem pura fides & lactea cultæ
Per Latias celebrat gentes facundia linguæ.
Hunc etiam, teneris cùm vix pubeſceret annis,
Theſpiaci nitidas perductum fontis ad vndas
Edocuit calamo ſiluas mulcere canoro,
Edocuit quibus ingentes ſibi panderet aulas
Artibus, & Regum ſacras tractaret habenas.
Nunc vbi iam fama ætheriũ conſcẽdit Olympũ,
Et ſibi promeritis populos deuinxit, & vrbes,
Dulcia vt aſſiduas alternent ocia curas,
Ipſe idem deus antiquo donauit amori
Surgentem muſis dilecto in colle receſſum.

IN QVINQVE MARTIRES Franciſci Bencij.

SIdereæ fœtus animæ diuina laborum
Nobiliũ monumenta, meus quæ culta perenni
Carmine ad Aonias exegit Bencius vndas,
Inuiſis tandem latebris, & carcere duro
Libera, fulgentem cæli prodite ſub axem,
Perq; manus, perq; ora hominũ volitate piorum.
Vos quicumque ſacris Pindi veſtigia ſiluis
Impreſſit, quicunque polo ſtellante receptas
Felices animas digno veneratur honore,
Sollicitis poſcit ſtudijs. vos æthere ab alto
In lucem, vitæq; vocant ſpirabilis auram
Magnanimi heroes, cæli noua lumina, quorum
Inclyta perpetuum producitis acta per æuum.
Ante alios nomenq; ſuum, lethumq; fidemque
Egregiam condi tenebris Aquiuiuus opacis
Conqueritur, ſegnisq; moræ diſpendia damnat.
Tu generis columen tanti Claudi optime, cui ſe
Aurea gens pulchro Ignati ſata ſemine totum
Commiſit placida frænandam lege per orbem,
Annue terrarum precibus, cæli annue votis
Iam facilis, vatemq; pium, laudesq; tuorum
Nilum vltra, Tanaimq; vltra ſine candida curru
Gloria quadriiugo ſuperas attollat ad arces.

AD FVLVIVM N.

De geminis clauis, quibus animus humanus mortali corpori affigitur.

TE, fateor, non vlla ſuis trahit improba Siren
Illecebris captum Fului, non vlla cupido
Sollicitat plauſus vano popularis honore.
Nam quid diſſimulem, totam quas fama per vrbē
Promeritas tibi iamdudum canit inclyta laudes?
Cur tamen his auctum virtutibus eſſe beati
Te claro dignum titulo non arbitrer, audi.
Cum primùm ſuperi veniens ab ſede parentis
Induit ætheriam lucem mortalibus vmbris,
Et fragiles hominum ſe mens demittit in artus,
Illam ne patriæ nitidas cæleſtis ad oras
Audeat ante diem fato obluctata reuerti,
Ponderibus preſſam duris ſub carcere tætro
Affigunt gemini membra ad mortalia claui.
Quorum qui populi turbam magis angit inertem
Sordida plebeijs pertundens pectora curis
Eſt ficti, prauiq; boni væſana cupido.
Regales animos alter, procerumq; potentum
Altius immiſſo recludens vulnere corda
Turbidus irati perhibetur ſanguinis æſtus,
Hos niſi mens longo virtutum exercita motu
Diuina penitus conuellere nouerit arte,
Haud fuerit felix vmquam, cælive per auras
Ante obitum vecta excelſo ſe attollet Olympo.
Ipſe quidem vitæ ſordes, labemq; caducæ
Magnanimus, curaſq; hominum cōtemnis inanes,
Et deſiderijs fallacibus obſtruis aures;
Non tamen inſanos iræ componere fluctus,
Aut animi calles tumidas ſedare procellas.

Quin

Quin vbi te flauæ exagitant incendia bilis,
Implacidis laxas odijs effundis habenas.
Et ſatyræ leges vltra diſcrimine nullo
Obijcis occultæ ſua cuique opprobria culpæ.
Quòd ſi non vanas vitæ felicis ad artes
Cælicolum monitu adſpiras, compeſce tumentē
Sollicita ratione animum, pia fræna furori
Inijce, & ingratas congreſſu auerte querelas.
Sic geminis tandem clauis mens læta refixis
Aetheriam in ſedem ſublimes efferet alas,
Et licet humanis nondum deceſſerit vmbris,
Aſpiciet veri fulgentia lumina ſolis.

IN LIBRVM
PETRI PAVLI MAGNI
De re medica.

QVæ volucris primùm vitæ producere metā,
Et valido hnmanas tutari in corpore vires
Edocuit, varios ſolertia culta per vſus,
Illa eadem multis cælo labentibus annis
Nobile tergeminas ſtudium diduxit in artes.
Prima ſalutiferi morbos arcere veneni
Viribus inſtituit, certo iuuat altera victu,
Artifici poſtrema manu languentibus ægris
Optatam vitæ mortalis prorogat auram.
Hanc ſuperū genus heroes, hanc maximus auctor
Mirificæ Thymbræus opis coluere vetuſtis
Temporibus ſnlam, ſola hac mōſtrante perēptum
Hippolytum ſuperas Aſclepius egit ad auras,
Victa tamen longi infelix decurſibus æui
Iamdudum decus eximium, primiq; nitoris
Exuerat ſpeciem, tenebriſq; adoperta iacebat,
Publica cum tantæ miſerans incommoda cladis

Opti-

Optimus illam iterum nigranti nocte, ſicuq;
Ereptam veteri donauit lumine Magnus,
Aurea complectens cultis præcepta libellis.
Reſpice quos nuper felicibus edidit auſis
Cæleſtes orbi monitus, dum mittere venis
Edocet effuſo dirum cum ſanguine morbum.
Et nunc ille cuti flammatos admouet orbes
Splendentis vitri, nunc ſauciat ægra minutis
Corpora vulneribus, vel docto vincula nexu
Implicat, vt Latijs mors exſulet improba terris,
Vix opus exegit tantum, nouus ecce ſub auras
It labor, en alias de cælo deuocat artes,
Nam ſi præcipitans à vertice noxius humor
Aut longam miſeris tabem, præſensve minatur
Exitium mox ille viam reſerare patentem
Occupat & flamma, & ferro, qua defluat omne
Paulatim curſu virus lethale perenni.
Hinc decus, hinc quæſita viro eſt inſignis in æuũ
Gloria, quæ cunctas terræ, pelagiq; per oras
Illius attollit claras ad ſidera laudes.

IN OBITVM
FRANCISCI DELBENII.

MAgnanimi hæroes, bello fortiſſima quondã
Pectora, quos recti ſtudiũ Mauortis ad arma
Impulit, & miro virtus incendit amore;
Quandoquidem ſuperum diuina in tẽpla recepti
Degitis æternæ felicia tempora vitæ,
Nec vos inuidiæ liuor quiſquam improbus vrit,
Aetherios inter cœtus flammantis Olympi,
Quà rutilus claro perfundens lumine cælum
Vos pater armipotens triplici complectitur orbe,
Accipite indigna Parcarum lege ſolutum

Del-

Delbenium iuuenem, & cæli concedite partem.
Ille quidem dulces vitæ dum carperet auras,
Vix teneras prima ſignans lanugine malas
Regia Gallorum ad bellum modo ſigna ſecutus
Pro dulci patria, pro religione parentum
Egregias veterum laudes ſuperauit auorum;
Et modo cœrulei percurrens æquora ponti,
Threicij fines auſus populare tyranni
Innumera inſignis famæ monumenta reliquit.
Nunc vbi mortales artus, terrenaq; membra
Exuit; & celeres fato eſt dilapſus in auras,
Antiquam in patriam, & diuum fulgentia tecta
Aduolat, ingenti cumulatum laudis honore
Vos illum inſignes animæ numero addite veſtro,
Et merita cæli venientem in ſede locate.

DE PRIMA NASCENTIS mundi die Academicus Autoſchediaſmus.

INgentem volucri lapſu conuerſus in orbem
Expectata nouus ſolennia rettulit annus
Felicemq; diem qua miro condita partu
Prima rudis canimus de more exordia mundi.
Laudatum repetamus opus, magniq; parentis
Æternum læto veneremur carmine numen.
Hæc rerum natura ingens, hæc dædala cæli
Machina, quā rapidi lampas circumuaga Phœbi
Illuſtrat, quæ cuncta ſuis amplexibus ambit
Corpora, nil dudum fuerat, nil lumina vitæ
Attigerat, non vllus adhuc globus ætheris alti
Extiterat, non ipſa vago circundata ponto
Fertilis in medium tellus deſcenderat orbem.
Solus in æterni caligine conditus æui
Ille hominum, ſuperumq; ſator diuina beatæ

Gaudia carpebat vitæ, venturaq; certis
Sæcula temporibus voluebat mente ſub alta.
Ergo vbi præſcriptæ limes iam venerat horæ,
Qua concepta animo cunctarum ſemina rerum
Ederet, & magni molem procuderet orbis,
Excelſum ſimul ille polum, terrasq; iacentes
Protulit; at terras pariter, cælumq; profundum
Vndiq; nox tenebris nigrantibus atra premebat.
Atrum, ingens, informe chaos regnabat in omni
Natura, quaſcunque recens exorta per oras
Congeries mundi magnos diffunderet artus.
Quale ſub obſcura tætri caligine Ditis
Infernas habitat latebras, & ſontibus vmbris
Incubat horrificans, dulcis quæ in lumine vitæ
Imperium ſummi detrectauere parentis.
Ipſe ſuper vacuas volitabat ſpiritus vndas
Omnipotens, confuſa fouens elementa benigno
Flamine, cum ſacro vox illius excidit ore,
Lux fiat, mora nulla ingens exorta per auras
Lux erat, & rutilo radiabant cuncta nitore.
Tum primum patuere alti fulgentia cæli
Sidera, tum barathro tellus educta profundo
Conſtitit, & radijs fulſit ſplendentibus aër,
Sic prima eſt exacta dies, ſic veſper & ortus
Diuini clauſere operis primordia ſancta.
  Nec vero auſpicijs naſci melioribus orbis
Aut potuit rerum naturæ maximus auctor
Ordini tantam potiori ab origine molem.
Scilicet idem opifex rerum, qui diſpulit atras
Naturæ tenebras, lucemq; infudit Olympo
Eſt radius, ſplendorq; patris, pater ipſe perenni
Luminis immenſi æternus ſplendore coruſcat.
Quid vero? non ipſa vides vt candida cæli
Flamma micans ſummi viua eſt genitoris imago?
Ille ſuper rutilos orbes, ſuper alta refulgens
Agmina, cælicolum cunctas immobilis oras

Per-

Permeat, hæc cæli extremo vix limine ſurgit,
Et magni radiata nitent confinia mundi.
Ætheria viget arce Deus, viget impia ſubter
Tartara, nec ſcelerum afficitur contage maligna.
Peruolitat rapidis pariter lux omnia flammis,
Nec purum labes tamen inficit vlla nitorem.
Ille ſolum terræ ingentis, pelagiq; profunda
Omnigenis animat formis. hac excita pandit
In fœtus natura ſinum: Deus alta laborum
Per iuga ad æternæ ducit nos præmia vitæ.
Lux certum in tenebris callem præpandit eunti,
Ne cadat in præceps, aut deuius erret in vmbra.
O cæli, terræq; decus lux aurea, quis te
Pro meritis celebrare queat, quis carmine laudes
Æquiparet tantas digno? tu haud indiga noſtri
Eloquij præclara tuo ſplendeſcis honore
Per populos, perq; alta poli conuexa nitentis.
Hæc vtinam noſtris affulgeat inclyta cœptis
Et ſuperum celſa reduces nos ſiſtat in arce
Vera vbi ſine nocte dies, ſol verus in æuum
Irradiat puras diuino lumine mentes.

LIBER IV.

CRATER

Siue memorabilis ad Echinadas de magna Turcarum claſſe victoria cum epicedio Cath. Maripetri, & Franc. Venerij.

Hoſpitibus placitum muſis quicũque receſſum
Ingrederis, circumq; auido per ſingula viſu
Duceris, inſuetos operum miratus honores,
Ne noua diſparium temerè ſpectacula rerum
Crede rudi properata manu, ſi fontis alumnos
Inter Apollinei ſignisque, auroque refulgens
Ingentem Crater argenteus exerit orbem.
Nam culti qua parte laris pulcherrima ſedem
Dignius acciperent ſacro data munera vati?
Scilicet hunc veteris teſtem Maripetrus amoris
Vrbis honos Venetæ flauas Anienis ad vndas
Quærengo cratera ſuo tranſmiſit habendum,
Quem doctis vt grata forent ea dona Camœnis,
Pollicitumq; ſua elicerent vt imagine carmen,
Mirificis iuſsit rerum ſplendere figuris.
Aſpice quæ rutili amplexu interiore metalli
Ancipitem ſimulacra micant ludentia ſenſum,
Hic geminas ficti cernes per marmora ponti
Frontibus inter ſe obuerſis concurrere claſſes,
Et ſalis Ionij reſperſum cædibus æquor.
Aſpera Leucadias iterum ceu bella per vndas

Excitet Auſonios inter diſcordia ciues,
Et furor inſanis Mauortius ambigat armis
Cui pelagi,ac terræ dominas concedat habenas.
Cæſaris hinc magnũ patris decus Auſtriusheros
Territat imbelles aquilis victricibus hoſtes,
Quem circũ Heſperij proceres,Romanaq; pubes,
Et Venetum generoſa manus volat auſpice cælo,
Cui pugnat,ſpirantq; leues à puppibus auræ.
Hinc ſublata nitent candentis cornua lunæ,
Et rapidos æſtus contra, contra aſpera venti
Flamina cunctãtem ſubigunt per cœrula claſſem
Threicij, pallentq; metu venientibus ora.
Vix lato incubuere mari, volat incita flammis
Terrificis ex ære cauo pila crebra per auras
Ferrea, diſſultant vndæ, & caliginis atræ
Voluitur obliquo per cælum tramite nubes.
Nec mora, remigibus curſum luctantibus vrgent
Aduerſi. clamore putes, ſonituq; ruentum
Pulſari attonitas veris vt vocibus aures.
Et iam purpureis ſpumantia fluctibus arua
Salſa tument pelagi,iam cæſis innatat alnus
Corporibus. dubio trepidam certamine pugnam
Mars agitat, nutatq; acies incertus in ambas.
Ecce pudor ſubit, ecce animis præſtantibus ardor
Inſtat agens.dant terga Phryges cõuerſa per altũ,
Dant Thraces,ratibusq; ſecant celerãtibus vndas.
Præripuere viam Auſonij. tum dira cruentas
Exercet Bellona manus, clademq; ſupremam
Multiplicis lethi exitio fugientibus infert.
Hos inter velut igne furens,tonitruq; ſequenti
Horrificans animos alto cadit æthere fulmen,
Confertos per tela ruit Maripetrus in hoſtes
Magnanimus, ſequiturq; viri victoria greſſum.
Hunc vnum trepidare acies,huic cuncta videntur
Agmina diſiectæ pelago decedere claſſis.

Heu tantum ne fata decus iuuenilibus annis
Inuideant. iam magne ſatis, laudiſque, laboriſq;
Exhauſtum Catharine tibi. ſine barbarus auræ
Vſuram ætheriæ vilem producat inerti
Præcipitans curſu, rudis aut tironis in enſes
Incidat, & tardis facilis ſit præda carinis.
Te decuit ſeruaſſe tuis claſſemque, ducemque,
Cùm lacera amiſſo prætoria remige puppis
Hoſtiles tremeret circumuallata triremes.
Te decuit gelidas Orci miſiſſe ſub vmbras
Viuida quos virtus animi, atque exercita bellis
Militia aſsiduis diſtricta in tela feroces
Egerat. euerſas acies agitare per æquor
Haud cœptis laus æqua tuis, neq; ab agmine fuſo
Ancipiti meruit quæri diſcrimine palma.
Cui loquor? infeſtæ tanto magis inuia pugnæ
Ire paras, mediumq; volans ignem inter, & arma
Obſtruis auerſas monitis reuocantibus aures.
Nec te inſtans miſer exitium, nec caræ relicti
Germani pietas per dura pericula cautum
Efficit. ille procul cælum, ſuperoſq; fatigat
Nequidquam precibus vacuis, atque irrita vota
Conduplicat, reditusq; tibi meditatur inanes.
Tu cadis horriſono plumbi exitiabilis ictu,
Nec frueris partæ diuino laudis honore
Infelix. ſed Parca tibi quāquam improba lethum
Crudele accelerans vires interſcidit annos,
Nulla tamen tenebris tua fortia conteget atris
Facta dies, nullo nomen delebitur æuo,
Octaui pia cura tui quod morte ſecunda
Vindicat, & fama oppoſitos extendit ad axes.
Hic quoque candēti quo fulges ſculptus in ære
Parte aliqua monumēta operum celebrata tuorū
Caſtalius longum ſeruabit tuta receſſus
Et quoties grati ſe ad dulcia limina tecti
Perferet, & cari munus ſpectabit amici,

Pie-

Pierium inſtituet vates tibi texere carmen,
Nec ſua fraternæ deerunt præconia laudi.
Extima ſupremum quæ permeat orbita gyrũ;
Ex varijs teretes ſimulacris aſpera flexus
Circuit, impoſita amplectens cratera corona,
Explicat inſignis pueri miſerabile funus,
Quem ſcopulis mage dura ſuis, mage ſæua procellis
Indigenis letho Pharie conſumpſit acerbo
Florentem ſtudio, & cæleſtis imagine formæ.
Nunc ſcelus ingrato officio, nũc crimina mœſtis
Expiat exequijs: Longo viden' ordine pompa
Extructum ad tumulũ curua vt diffunditur acta?
His veterẽ pulchro in morem diademate crines,
Aeterni ſpecimen regni, coma tonſa coronat,
Et capiti ex humeris tegmen dependet acutum.
Illi Erebi attollunt victi venerabile ſignum
Verticis eximium celſi decus, albaq; circum
Crure tenus longæ inducunt velamina veſti.
Et ſinuoſa leues in flexus carbaſus errat.
Aſpicis? exiguas manibus ſine lumine defert
Quiſque faces; quiſque in cælũ meditatur hianti
Ore preces. alij ſubeunt; & lampade fluctus
Cæruleos denſa irradiant: volat ater ad auras
Aetherias, nebuliſq; diem vapor abdit opacis.
Pone puer fulcro inuehitur ſublimis honeſto,
Et croceo exanimum corpus palleſcit in auro.
Ceu roſa, quam madidi violentia perculit Auſtri,
Purpureum poſuit forma abſcedente colorem.
Humanis i fide bonis. hunc nobile nomen,
Blanda pharetrati gaudet quo mater Amoris,
Hunc decor, & probitas, & cultæ gratia linguæ
Laudibus ad ſummum meritis euexit Olympum.
Nũc feretro impoſitũ mœror, gemiſusq; dolentũ
Proſequitur, paruiq; humilis manet vrna ſepulchri.

Verte

Verte, ſub extremi obtutum confinia limbi,
Proxima quâ ſummo ſe exordia limite claudunt,
Rerq; ſua ingrediens veſtigia flexilis errat
Ambitus, vndanti feruet via tecta caterua,
Omnis ab exigua populus ſe huc aggerat vrbe;
Omnibus effuſo dimanant lumina fletu.
Iamq; ipſum efferrent gemitum, ſi ſedula voces
Humanas cælo ſolertia fingere poſſet.
Victa tamen raro ceſsit natura labori,
Nam luctum, & triſtes promentia verba querelas
Perlegere in tacitô lacrymantum ars edocet ore.
Ni credis, ſubiecta oculis prope conſpice ſigna,
Arcanum edentes animum mirabere vultus.
Ac meritò monumenta inter cæleſtia vatum
Eximio conceſſam operi teſtabere ſedem.
Atque vtinam votis adſpirans Delius æquis
Afflaret placidi ætheria me numinis aura,
Noſtra tuas geminum Crater mirãde per orbem
Innumeris laudes loquerentur carmina ſæclis.
Ac tecum pars illa meæ longè optima vitæ
Muneris egregius mihi tanti Octauius auctor
Fulgeret claro famæ immortalis honore.
Nunc fruere inũgni hoſpitio, ſacramq; venuſtis
Perge tuis ædem adſiſtens decorare figuris.

HONORIS TEMPLVM.

AD IOANNEM SARIVM Zamoſcium Magnum Poloniæ Cancellarium.

SIdereo quâ celſa iugo trans nubila Pindus
Tollitur, & muſis gratus cæleſtibus amnis
Laurigeri ſacras nemoris perlabitur vmbras,
Aethe-

Aetherias templum mirabile ſurgit in auras,
Quod ſolido ex adamante ingens, auroq; micanti
Aeterno Aonidum princeps ſacrauit Honori.
 Huc gemini anguſto perducunt tramite calles,
Alter inaceſſæ deſerta per ardua rupis
Fert cælo egregias animas, quibus aſpera bella
Perpetuum fuſo mercantur ſanguine nomen.
Mollior obliquis inflexibus excipit alter
Pectora tranquillæ ſtudijs exercita pacis.
Cuſtodes aditum ſeruant in limine primo
Hinc Nemeſis ſcelerum vindex, hinc optima legũ
Eunomie inuentrix, vulgusq; ingreſsibus arcent.
 Sed neque præſtanti heroum de ſemine quiſquã
Per callem temerè veſtigia fixit vtrumque,
Quoſq; togæ, linguæq; decus, quos Palladis artes
Per populos olim titulis auxere decoris,
Rara triumphali tranſuexit gloria curru.
 Tu tamen ô ſæcli lumen Dux maxime noſtri;
Cuius in Herculeos humeros tot preſſa periclis
Sarmatici moles regni iam tuta recumbit;
Laudis iter duplicis pergens te attollis ad aſtra
Quis neſcit, quibus attonitas tua pertrahat aures
Dulcibus eloquij manans facundia riuis?
Quanta ſub excelſa vigeat prudentia mente!
Quamq; pias populis leges, quàm certa regendis
Vrbibus imperio ſtabili documenta relinquas?
Hæc meriti pars vna tui: duro altera bello
Parta refert ſpolia, & rorantia cædibus arma,
Captiuosq; duces, & pictas ordine longo
Ciuibus oſtentat, quibus hoſtem depulit, arces.
Macte animis heros ingentibus, alta merenti
Ipſe ſacri iam pandit Honos penetralia templi,
Et viridi inſignem quercu, lauroq; coronam
Debita virtutis geminæ tibi præmia nectit.

IN LIBRVM DE PRISCIS

Campani agri monumentis

Ad Proregem Neap.

HEſperiæ decus eximium Dux magne, regendam
Cui lati caput imperij, clarisq; decoram
Parthenopen titulis gemini Rex maximus orbis
Credidit, & placitis iampridem finibus actam
Iuſtitiam in veteres iuſſit reuocare penates.
Si tua longinquas ingentia facta per vrbes,
Inclyta concordi populorum gloria plauſu
Euehit, & celſi te ſedibus æquat Olympi,
Quid mirum! non terra tuos,nō pontus honores
Obticet: iniuſſis flaueſcunt frugibus arua:
Aſpice, & ignaua nemoris ſilueſtris in vmbra
Horrida nectareos fœtus progerminat arbos.
Aſpice, tranquillo ſternuntur cærula vento,
Et portum innumeræ ingentē impleuere carinæ
Vndique conuectis ditantes mercibus vrbem.
Ipſum adeo,laudesq; tuas,tuaq; optime cælum
Teſtatur benefacta, viden' quo lumine Titan
Fulgeat, & rutilis ſplendoribus ardeat æther?
Quin poſito ſe priſca ſitu monumenta nitorem
Induere in veterem tentant, longisq; tenebris
Eruta mirifica oblectant tua lumina forma.
En tibi Chalcidicas quidquid Romanus ad oras
Effuſis opibus quondam terraque, marique
Condidit, innumeris quidquid labentibus annis
Euboicæ ingenti Cumæ texere ruina,
Aurea miranti rediuiuum ſubijcit ætas:

Iamq; nouos pelagi tractus, noua littora Nereo
Addita, & antiquis excluſum ſedibus æquor,
Luminibus legis attonitis, iam tecta Sibyllæ
Fatidicæ ſecreta ſubis, centúmq; pererras
Luce aditus, penitusq; cauam iuuat ire ſub aluum
Miſeni, & latebras oculis haurire repoſtas.
Felix quo redeunt veterum miracula rerum
Principe, quo probitas vitijs calcata reſurgit,
Luce micans propriæ laudis fulgente, ſed idem
Clarior auriferis tecum quod vectus ab oris
Ille tuæ thalamo ſobolis Velaſcus, & arte
Non minus Aonia, quàm ſceptro inſignis auito,
Excitat innocuos ſirenum carmine cantus
Dulciſono, memoriq; tuum decus inſerit æuo.

HISPANAE CLASSIS *in Atlantico mari Victoria.*

ITe per Auſonios victricia ſerta penates,
Ite, nec Hiſpanæ Latium virtutis honores
Diſſimulet: flammis rutilent fulgentibus arces,
Lætificos dent æra ſonos, delubraq; diuum
Muneribus gratæ cumulent ingentibus vrbes.
Sit ſcelus arcanis animi occultaſſe latebris
Gaudia, ſit crimen fœdæ indelebile culpæ
Egregium tenuaſſe decus. tu maxima tanti
Officij primas meritò tibi præripe laudes
Oenotrij Regina ſoli, fractumq; tyranni
Exulis imperium, victæq; incendia claſſis
Magnanimo gentis Regi gratator Iberæ.
Ille opibus quodcunque ſuis terræq;, mariſq;
Subdidit, & ſceptro felix adiunxit auito,
Id partum tibi Roma puta: vicere nefando

Marte alij, captasq; vrbes, opulentaq; regna
Crudeli euertere manu, quo diuite cenſu
Oppida regales alerent pereuntia luxus:
Huic proferre labor fines pietatis, & omnes
Per populos ſolij diffundere iura Latini.
Cui ſacri non nota animi probitasq; fidesq;
Inclyta? cui veri ſtudijs exercita cultus
Relligio? conuerte aciem qua clarus arenis
Auriferis Tagus Hiſpanas interluit oras,
In gentes conuerte nouas, nuperq; repertam
Cerne plagam, venerãda patrũ documenta piorũ
Aſpicies ſola inuictis dominarier armis;
Aſpicies Romana alium perlata ſub axem
Imperia, ſcitasq; Italo ſub principe leges
Indomitos iuſſis populos frænare verendis.
Parte alia viden' inſani quos pectoris æſtus
Impius abripuit miſeros, motuq; cruento
Auertit placida Regis dicione rebelles?
Vt dominum temnere ſimul, Sedisq; beatæ
Legitimum ceruice iugum excuſſere ſuperba.
Vt cælo abduxere animos, iuſtumq; piumq;
Infenſi ſtrauere ſolo? iam ſanguine Rhenus,
Iam tumet immenſo cæſorum campus aceruo
Belgicus, & victæ reparant fera prælia gentes.
Qualis in Herculeæ victricia robora clauæ
Sæua renaſcentes armauerat Hydra colubros,
Multiplices donec flammis exureret ortus
Alcides: nec fata vrbes meliora ſuperſtant
Infandas, niſi dira luant prece ſupplice facta.
En decus Italicæ laudis Farneſius heros
Heſperiæ impoſitus pubi, pubiq; Latinæ
Diſijcit ignauos armis felicibus hoſtes,
Regiaq; Auſtriadum muris vexilla receptis
Attollit, ſacrasq; replet cultoribus ædes.
Corda recens inimica pauor deterret, & ingens
Supplicium impendet trepidis, ferisq; fatentur

Vocibus inuictas contra ſe tendere vires.
Tu ſolus nec fata times, nec flamine dudum
Fortunæ aduerſo impelli tua carbaſa ſentis
Lyſiade. viſum ne parum eſt, popularibus auris
Imperij quæſiſſe decus, lethoq; propinquum
Subduxiſſe caput? vetitas niſi claſſibus vndas
Obrueres, vectasq; maris per cœrula merces
Longinqui, & rutilum captares perfidus aurum?
Nũc quas te in latebras, in quos miſerãde receſſus
Abdideris? ſatius fuerat tinxiſſe cruore
Infido pelagus, comitesq; ad ſumma ſecutum
Funera purpureas ponti fluitaſſe per vndas.
Reſpice qua miſeros crudeli in cæde relinquis,
Hæc pietas? hac dextra fides eſt tibi iũcta, furẽtes
Improbe cùm raperes certa in diſcrimina Gallos?
Tu celeri præceps ignota per æquora cymba
Aueheris, flammaſq; procul gemituſq; cadentum
Excipis. interea tepidi morientibus enſes
Conduntur, lacerant viuos crudeliter artus
Igniuomis tormenta globis, perq; arida ſerpunt
Ligna faces, ſuperant altas vada noxia puppes.
Sic potitur pietas votis, ſic læta merentes
Aſtra fouent. geminæ dubio in certamine claſſes
Conſtiterant, numeroq; virum, vaſtiſq; carinis
Celta ferox longè fortem ſuperabat Iberum.
Sed virtus generoſa animi, ſed tuta periclis
Pectora condenſas turbæ vertere cateruas,
Atque inconſulto vincla iniecere furori.
Sic quoque Tyrrhenæ ſeruilibus arua rapinis
Infeſtantem oræ, & Trinacria regna prementem
Contudit Auguſti felix victoria Sextum.
Actia ſic turpi fugiens cum pellice ſaxa
Niliacas Latius claſſes amiſit adulter.
Nec ducis imperio tanti iuſtiſsima bella
Deterius potuere geri. quacunque frementes
Aluarus obruerit proras, veſtigia flectit

Gloria, & æternæ merito fert munera palmæ.
Leucadij teſtes ſcopuli, Thrace impia teſtis,
Fluctibus Ionijs merſos quæ luget alumnos,
Et laudes inuita viri admiratur, & arma.
Illius egregijs auſis noua regna, nouoſq;
Terrarum tractus, atque æquora vaſta profundi
In magni titulos cernes tranſire Philippi.
Iamq; vagus nitido quantum Latonius aſtro
Circuit, Oceani quantum maris alluit vnda,
Actutum pia ſceptra colet, geminoq; ſub axe
Vnicus immenſo princeps dominabitur orbi.
Tum tibi promeriti largè reddentur honores.
Tum pelagus iuſto, & latas moderamine terras
Roma reges, priſcoq; iterum lætabere cultu.
Interea placidi oſtentant quæ ſidera cæli
Excipe iucunda felicia gaudia mente.
Excipe, & Auſoniæ ſtudijs concordibus arces
Hiſpanæ celebres gentis teſtentur honores.

AD IOANNEM BAPTISTAM *Victorium* *Pauli V. Pont. Max. ſororis F.*

GEntis amor Latiæ, ſpes Tibridis altera magni
Nobiliũ iuuenũ princeps, cui cingere crines
Iam dudum merito ſacra purpura geſtit honore;
Quid toties precibus, toties me inceſsis amaris
Verborum ſtimulis, ignotæ vt lucis in oras
E latebris tandem educam; quæ multa per annos
Florentes numeris luſi modulata Latinis?
Magnanimæ ardorem mentis, ſtudiumq; mearum
Agnoſco admirans laudum, nec pectore noſtro
Dum viuam tanti monumentum excedet amoris.
Dura ſed aduerſæ vt metuam diſcrimina famæ

In-

Ingenij vis parua mei, riſuq; frequenti
Magnorum traducta monent me nomina vatum.
Aſpice, ne antiquos memorẽ, quæ ſpicula linguæ
In ſacrum vibrentur opus, quod bella tyrannis
Eois indicta canit, Solymamq; receptam.
Aſpice, vt inuidiæ liuenti infecta veneno
Crebra petãt tela Eridani indignantis alumnum,
Cui fidi paſtoris amor dulcedine mira
Carminis ætherias fertur ſublimis ad arces.
Et ſibi tam rigidis cenſoribus audeat vllus
Scriptorum de plebe humili promittere tutum
Egreſſum, aut longi pretium ſperare laboris?
Tu tamen increpitans vrges, animumq; timenti
Addis, & effugij calles intercipis omnes.
Quod ſi nequidquam conatu obnitor inani,
Cur mihi ſint paruæ laudis diſpendia tanti,
Vt tua non vltro potius mandata faceſſam?
En iuſſu producta tuo de carcere longo
Pars mihi Pierij fœtus trepidantibus alis
Euolat, & cælo ſe credere diſcit aperto.
O quales miſeram caſus, quæ dira ſuperſtant
Ludibria, Auſonias cum circumuecta per vrbes
Oſtendet veteres ſpectantibus horrida cultus.
Sed tu, quo primùm ſe auctore in lumina promit,
Digne polo iuuenis pauidam tutare Camœnam,
Et cui das vitam, vitæ quoque munera ſerua.
Auſpicio vt bis nata tuo præſtantibus æquas
Promeritis olim poſsit tibi ſoluere grates.

AD PHILIPPVM SPINELLVM Seminariæ ducis F. Patauium proficiſcentem.

ERgo ne perpetuo cælum dum corruit imbre,
Et tumidis late exundant torrentibus agri,
Euganeam Spinelle paras contendere ad vrbem?
Tam rapidæ quæ cauſa fugæ? num Romula tellus,
Claraq; nobilium tibi gens deſpecta Quiritum,
Et monumenta æui temnis miranda vetuſti?
An potius te laudis amor, legumq; cupido
Sacrarum properare iubent, & cara verendi
Germani tacitis ſtimulis mandata perurgent?
Sic equidem reor. auſpicijs i cœpta ſecundis
Perfice, & egregij finem continge laboris.
Parthenopemq; tuam diuinis laudibus orna.
Interea campis dum te procul eſſe Latinis
Fata volent, longiq; fluent quinquennia luſtri,
Quod ſtudijs certum eſt impendere velle decoris,
Sis precor ò noſtri memor, & ſolate dolentem
Dulcibus alloquijs, tenui quæ incluſa papyro
Sedula ſollicito tranſmittat epiſtola curſu.
Sic tibi cum primùm extuleris de limine portæ
Flaminiæ greſſum rutilo ſol fulgeat orbe,
Et luce incolumem nona te doctus ad amnem
Medoacum hoſpitio excipiat Pinellus amico.

AD

AD MVSAM DE IO. BAPTISTA Marchione Manſio.

AVde aliquid tandem magnum, da plena ſecundo
Ingenij iam vela Noto, primiſq; relictis
Muſa vadis crede immenſo te interrita ponto
Et fortunati certam ſpem concipe curſus
Ecce Dicarchæi felici ab littore portus
Socratici decus ille chori, laus ille venuſtæ
Maxima Parthenopes tibi Manſius omine fauſto
Securum ſpondet pelagus, ſuperoſq; fauentes.
Huius ego auſpicijs fretus quacumque profundo
Cingitur Oceano tellus tecum ire, nouoſq;
Viſere Atlantæis intactos claſsibus orbes
Haud dubitem, nomenq; meum tantiq; per omnes
Ferre viri celebrem populos in ſæcula famam.

FRANCISCI THVANI ex longa peregrinatione Romam redeuntis expectatus cupidè aduentus.

NVncia lætitiæ ingentis ſi fama per vrbem
Didita veridicis implet ſermonibus aures,
Non procul Auſonijs Tuſcũ ſecat arcibus æquor
Par morum grauitate patri, par nectare linguæ,
Soſpes ab extremo rediens Oriente Thuanus.

Iamq;aderit, Tiberisq; ſacras plaudentis ad vndas
Spe trepidis dubia occurrens optatus amicis
Dulcia inexpletis complexibus oſcula iunget.
Te procerum verò in primis Bettune reuiſet
Magne hilaris promentem animi pia ſigna, viæq;
Non vanos cupidum tam longæ audire labores.
Nec deerunt, quæ mira tibi nouus ore diſerto
Poſt epulas lætus regales narret Vlyſſes,
Seu referat peragrata amplũ quacũque per orbẽ
Principis Odryſij fundunt ſe immania regna,
Seu memoret quibus ille armis, quibus artibus vſus
Tot vaſti imperij populos in pace, tot vrbes
Ingentes pelago inuictus, terraq; gubernet.
Tu contra, quæ iuſta feros pietatis in hoſtes
Henrici ſoboles magni Rex mouerit arma
Bellipotens, terrorq; virum, domitorq; furentis
Oceani ferro ſceleratam exciderit vrbem,
Narrabis, tùm celſa addes per clauſtra vocanti
Immiſſa Italiæ victricibus agmina ſignis
Et belli oppreſſos illata pace tumultus.
Mox repetita acri certamina Marte rebelles
In patrios, pronaq; iugum ceruice coactos
Accipere, & domino abiectas proſternere moles.
Hæc vice ſermonũ dulci, hæc iucunda recepti
Aduentu iuuenis gratæ conuiuia menſæ,
Et ſocium plauſus, vrbisq; fauentis amicos
Accelerent vtinam volucri cita flamina curſu.

AD HIPPOLYTVM Carraciolum.

Multa tibi Hippolyte, atque ingentia dona dedere

Cælicolæ, genus in primis, quo clara refulget
Parthenope, & Latiæ tollit ſe gloria gentis.
Tum decus egregium formæ, patiensq; laboris
Corpus, & ingenuus vitæ quibus indiget vſus
Diuitias. Sed nulla magis te munera cæli
Laudibus accumulant, docti quàm pectoris artes
Diuinæ, & præſtans cultæ facundia linguæ.
Tu conuexa ſuper magni ſublatus Olympi
Percurris celeri fulgentia ſidera mente.
Tu potes ad ſuperas verbis attollere ſedes
Infandis ſcelerum formis, & carceris atri
Pondere depreſſos animos. tu flectere corda
Aſpera, & inſanos plebis mulcere furores.
Hoc Siren mirata tua eſt, hoc celſa Panormi
Vrbs celebrat, ſæuis nuper quæ exercita curis,
Cum miſeros tumulo inferrent contagia ciues,
Horrificum per te ſenſit miteſcere morbum.
Hoc Veneti & memorant proceres, qui rurſus ad oras
Te reuocant patrias, votisq; ardentibus optant
Humanos iterum ſenſus audire mouentem,
Et veterum populo reſerantem oracula vatum.
Vade age, & egregias laudes ingentibus æqua
Promeritis, nec blanda ſuis te culta morentur
Pauſilypi illecebris, nec te vlla incommoda longæ
Dura viæ celeri pigeat tranſmittere curſu.
At nos interea Tiberis flauentis ad vndas
Fortunæ inſtabili æternum iactabimur æſtu,
Nec gemitu, aut lacrymis vnquam abſiſtemus amaris
Indignos domini caſus, immitia flere
Funera, quem procul antiqua Mauortis ab vrbe
Linquimus ingrata miſeri tellure ſepultum.
Hæc tibi dum paruæ ſublimia tecta Sueſſæ,
Et iuga nectarei cultu celebrata falerni

Prætereo, dulcisq; tui me abſentis imago
Inſequitur, tacita meditabar carmina mente.
Quæ memori repetita animo nunc ſedula defert
Pagina, ſint noſtri vt certum tibi pignus amoris.

LIBER V.

AD ALOISIVM *Lollinum Bellunenſium Epiſcopum.*

SPectarant Lolline meũ, niſi dona fateri
Ingratum diuina pudet, felicibus ortũ
Sidera luminibus, nomenq; inſigne, decusq;
Æternũ, Aonias colerẽ ſi ſedulus artes,
Vos, inter celebres animæ ſperare iubebar.
Atque equidẽ, primæ inciperem cũ flore iuuentæ
Spargere purpureos flaua lanugine vultus,
Preſſa terens veterum pedibus veſtigia vatum
Inſtiteram non ſegnis iter, quod tramite celſo
Caſtalij nitidas fontis perducit ad vndas.
Sed tua præſertim miros adiecit eunti
Laus animos, quarti vixdum quem limina luſtri
Ingreſſum volucri aſpiciens præcedere curſu,
Vrgebam vigiles noctemque, diemq; labores
Nobilis inuidiæ ſtimulis, iamq; ardua Cyrrhæ
Per iuga laurigeri nemoris viridante ſub vmbra
Nunc dulcẽ numeris muſam meditatus Etruſcis,
Nunc Latijs mulcens intentas verſibus auras
Inſanos iuuenum queſtus ſolabar amantum.
At malus intereà patrijs ab ſedibus error
Spes vulgi miſeras, & inania vota ſequutum
Collibus impoſitã ſeptem me abduxit ad vrbem,
Hic vbi perpetuis aulæ iactatus ab vndis
Sæui inter fera monſtra maris ſcopuloſq; latentes
Pieridum ſacras eieci è pectore curas.

Quoſq; plagis ſuperum, cũ vitæ inceſſit in auras
Sidereos puri meus hauſerat ætheris ignes,
Fallacis maleſanus amor reſtinxit honoris,
Et vanis melior conſumpta laboribus ætas.
Quod ſi præteritæ interdum felicia vitæ
Ocia nequidquam memorans antiqua relabor
Ad ſtudia, & doctas inuito ad plectra Camœnas
Iratæ incomptas voces, incompta merenti
Auerſis dictant animis modulamina vati.
Sint quecunque tamen, ſi tu quo vindice noſtris
Priſca redit triplicis linguæ facundia ſeclis,
Haud prorſus temnenda putas, ingentibus auſis
Teſtentur ſummum quo te veneramur honorem,
Eque tuo ducant æternam nomine laudem.

AD CONSTANTINVM Molinum.

CVm tibi purpureum abſenti decreuit amictũ,
Vrbs patria, & ſtudio virtutum incenſa tuarũ
Præſentem dubijs iuſſit ſuccurrere rebus,
Ipſe ego, qui miro ante alios te amplector amore,
Sollicitas voluens mœrenti pectore curas
Ne iucunda tibi deeſſent ſolatia vitæ,
Dulcia miſſurum me carmina ſponte recepi.
Nec promiſſa tamen perſolui munera quamuis
Iam vacuum bis luna ſuum compleuerit orbem.
Scilicet vt noſtras te linquere contigit oras,
Quæ prius Euganeos Muſæ incoluere receſſus
Hadriaci tecum petierunt littoris vrbem,
Gaudiaq; abſtulerũt ſimul omnia noſtra nec ipſæ
Iam nitidæ manant vitreis de fontibus vndæ,
Non virides ornant fœtu iuga conſita rami.
Aut rident varij florum per prata colores,

Sed ſitus, & ſquallor mœrentibus incubat aruis
Quid mirum corpore nouo ſi pectora vatum
Ægra ſilent, dulceſq; negant depromere verſus?
Quæ neque Pierides Muſæ, nec Phœbus Apollo
Diuinis agitant ſtimulis, nec ruris honores
Illecebris docta inuitant ad carmina blandis.
Non ne vides, vt me conantem ſcribere pauca
Verba, quibus tibi me purgē, nunc deſerat omnis
Dicendi nitor, & fandi diuina facultas?
Non ne vides pedi vti pes vix vni hæreat alter,
Atq; ægre numeri coëant, quibus ante ſolebant
Interdum doctæ mulceri dulciter aures?
Nempe ego nunc mendax potius promiſſa, fidéq;
Deſtituam, quàm te compellem carmine tali.
Quod mihi ſi veniam tribuis Moline petenti
Supplicibus pro te cumulans altaria donis
Aetherium cæli regem, & diuina precabor
Numina, vt incolumem te, & multa laude decorũ
Muneris egregiè perfuncti ad cara reuerti
Arua ſinant, vbi te poſitæ miro ordine plantæ,
Et noua concepti labirynthi cura moratur.
Ipſæ vbi te ſummis conſtructæ in collibus arces,
Et nemora, & campi dudum cupiere relicti.
Debita tũm multo cum fœnore carmina reddam
Pieria fretus cithara, laudumq; tuarum
Digna feram duplici ad cælum præconia cantu.

AD ALOISIVM Salomonem.

NE mihi Letheis hauſtas de fontibus vndas,
Et diſperſa leues Salomon tua iuſſa per auras
Ire procelloſo credas ludibria vento,
Accipe, magnanimi quo me poſt funera Flaui
Iactatum impulerit Romani gurgitis æſtus.

Erra-

Errarem tumidas fracta cum puppe per vndas
Exigua pendens tabula, nec condita denſis
Vlla viam tenebris pandens ſe oſtẽderet Arctos,
Obiectum pelagiq. minis, Auſtroq; furenti
Anxia ſollicito torquebat cura pauore,
Ne duræ ad ſcopulos fluctus me allideret aulæ.
Ac niſi me placido ſeruaſſet numine cælum,
Incideram occultis fallax vbi cautibus æquor
Funera molitur miſeris crudelia nautis.
Et nunc forte ſalo fluitans extinctus in alto
Impia fluctiuagis præberem pabula monſtris.
Sed mihi non dubij trepido formidine lethi
Dulcia ſecuræ ſigna affulſere ſalutis.
Nam raptus properante freto quà littoris oram
Vicini abdiderant nigranti nocte tenebræ,
Rurſum alti vada cæca maris, rurſum aſpera ſaxa
Deſertis petere ignarus luctabar arenis,
Cùm rutilo fulgore procul per denſa coruſcans
Nubila ab excelſa ſe regius extulit arce
Lucis Aragoniæ ſplendor, portusq; propinqui
Ingentes pariter cupido patuere receſſus.
Huc auido adnantem curſu me concita ponti
Æquora, & optatis adſpirans detulit aura.
Hic madidas domino vndarum ſua munera veſtes
Suſpendi, ac placida tandem ſtatione receptus
Contemno inſtabilis fluctus, & murmura vitæ.

DE ALOISIO CONTARENO *Venetæ hiſtoriæ Scriptore, patrui Cardinalis opera promulgante.*

QVæ iuga laurigeris Parnaſſi conſita ſiluis,
Et colitis celſi florentia culmina Pindi

Æterni

Æterni ſoboles muſæ præclara parentis,
Ante alias tu Diua ſacri pars maxima cœtus,
Tempora quæ memoras æui tranſacta vetuſti,
Nominaq; in tenebris longo latitantia curſu
Annorum reuocas optatæ in lumina vitæ,
Floribus intextam varijs, lauroq; virenti
Collibus inſignem patrijs deferte coronam,
Et magni meritos Aloiſi incingite crines,
Quem Venetæ columen gentis diuina propago
Extulit antiquâ heroum de ſtirpe parentum.
Ille licet veterum proauorum exempla ſecutus
Egerit in ſtudijs multos ciuilibus annos,
Et procul à patria longinquas miſſus in oras
Externas celeri curſu peragrauerit vrbes,
Magnanimum Regum demulcens vocibus aures.
Interdum & populis dederit pia iura ſubactis,
Non tamen amplexu è veſtro diuellier vnquam,
Aut potuit ſacra mentem abduxiſſe Minerua.
Quin operoſa inter ciuilis munera vitæ
Sollicitas cupiens animo depellere curas
Vobiſcum ſuper alta poli ſe ſuſtulit aſtra
Sæpius, & diuum occultas penetrauit in ædes.
Hinc placidos mores, exculti hinc pectoris artes
Detulit, & dulci manantia nectare verba.
Ergo animum patriæ perculſus laudis amore
Egregiæ rarum artis opus ſub corde volutat,
Et Latiæ fretus præſtanti munere linguæ
Eruit in lucem Venetum monumenta virorum
Inflammans veteri ſeros virtute nepotes.
Ille etiam miro æternum ſibi prorogat æuum
Officio, nomenq; ſuum ſuper æthera tollit,
Nam puris alimenta animis gratiſſima præbens
Luce noua, & vigili mentis purgata labore
Scripta viri diuina effert, quo doctior vllus
Auſoniæ numquam felicibus exſtitit oris.
Nec Tyrio crines melior circumdedit oſtro.

Quare agite Aonides ſacram properate coronam
Promeritis æquam tantis, ſæclumq; per omne
Illius immenſas attollite carmine laudes.

AD ALOISIVM, ET SIMONEM Contarenos fratres.

VNanimi fratres, veterum generoſa propago
Heroum; quos alma parens felicibus aſtris
Luminis ætherij vitales duxit in oras.
Quos ſimul ingenium, & formæ diuina venuſtas
Nobilitant, cumulatq; opibus fortuna ſuperbis,
Inſcia dum ſcelerum, dum culpæ ignara nocētis
Cādida mens laudis vos pulchræ incēdit amore,
Et tenero gliſcens ardet ſub pectore virtus,
Sublimem celeri greſſu conſcendite callem,
Quem veſtri tenuere ataui, quem luce recenti
Illuſtrans aperit vobis nunc Grittius heros.
Scilicet hęc montem recto vos tramite ad altū
Semita perducet, quo ſedem clara locauit
Gloria, & æterno reſplendens lumine fama.
Tu vero in primis materna ſerius aluo
Edite, quem decorat formæ cæleſtis imago,
Et lepor, & Charites blandæ comitantur euntem,
Carpe altam dilecte viam, perq; ardua ſaxa
Ingredere exſuperans excelſæ culmina rupis.
En tibi quò facili tendas per deuia curſu
Ille tuus multa inſignis probitate magiſter
Oſtendit ſacras diuinæ Palladis artes,
Et nitidos reſerat fontes Heliconis amœni.
Tu ſtudijs ne ſperne animum exornare decoris,
Et memori vatum ſub pectore carmina conde
Quæ tibi tranquillæ demonſtrent gaudia vitæ,
Et iucunda ferant triſti ſolatia menti.
Sic felix cum fratre bono voluentibus annis

Ad

Ad ſummos patriæ iuuenis tolleris honores,
Mox gemini quaſi Tyndaridæ poſt vltima lethi
Funera ſurgetis nitido duo ſidera cælo.

GEORGII CONTARENI
AD PETRVM CONTARENVM, & ſocios conſolatio.

NE mea crudeli Parcarum ſtamina iuſſu
Dilecti properè nimium intercisa ſodales
Credite (per fidi obteſtor vos fœdera nexus,
Quo verus nos iunxit amor) heu iuſta pruſuſo
Suprema ad mutum cinerem perſoluite fletu.
Ipſe etiam fragili æternam dùm corpore mentem
Indutus colerem terras, & luminis auras
Mortali fruerer, deceptus imagine falſa
Fortunæ florentis opes, formamq; genusq;
Nobilibus clarum proauis, & lata potentes
Imperia in populos, petituraq; præmia laudum
Maxima felicis ducebam munera vitæ.
Nunc volucri ætherias penna ſublatus ad arces
Diſcuſſis atræ intueor caliginis vmbris
Quàm miſeras hominès curas, quã vana voluteé
Vota animo, & ſuperos mœror ſi tangeret vllus,
Veſtram corde vicem triſti, ſortemq; dolerem,
Quos oblita boni mens immortalis amaras
In lacrymas, repetente poli me limina, ducit,
Lætitiæ vnanimes decuit cùm plaudere noſtræ.
Tu verò ante alios, Venetæ noua gloria gentis,
Qui patrui felix magni æmulus aurea linguæ
Flumina Cecropium nectar, voluentia fundis,
Petre monet ſancti inuiolabile numen Amoris,
Sancta monet pietas, ne indigno gaudia luctu
Noſtra gemens, diris incuſes vocibus aſtra,

Sed magis vt blando ſocios ſermone dolentes
Ingratas tecum doceas inhibere querelas.
Et me, quòd geminos fratres ſuper alſa ſecutus
Sidera, cùm teneri nullo ſe crimine mores
Fœdaſſ.nt, turpis fugi contagia culpæ,
Oſtendis celeri fato debere perennem
Inter cœlicolum felicia numina vitam.

AD COMITEM POMPONIVM Taurellum in Hiſpanias ſoluentem.

AEquoris ignoti vaſtas cùm ſcinderet vndas
Aurea cælicolum portans ad vellera natos
Æmonio fabricata duci Pagaſeia puppis
Non illam horriſono ſpumantes vortice fluctus
Non rapidi inſano potuerunt verbere venti
Optatis trepidam Colchiorum auertere terris,
Iſmarij nam tuta ſacro modulamine vatis
Vndarum, cæliq; minas contempſit, & ipſa
Mobilibus curſu in medio freta concita ſaxis,
Phaſiaco donec ſe interrita condidit amne,
Tu quoque Threicij cui vocibus æmula plectri
Carmina Pieriæ dictant cæleſtia muſæ,
Securus liquidas ibis Taurelle per vndas,
Deſpiciensq; iram pelagi, ventoſq; furentes
Hiſpano incolumem ſtatues in littore puppim.
Inde vbi iam voti compos, meritumq; peracti
Muneris, & culti referens ſermonis honorem
Ingentis magna Regis diſceſſeris aula,
Rurſus in antiquam patriam, caroſq; penates
Proſpera perducent volucri te flamina curſu,
Quo tua te inſignis ſoboles, quo lecta tuorum
Te manus expectat comitum, populusq; patreſq;
Et geminus Latij lux nominis inclyta Princeps

AD COMITEM GABRIELEM Capram.

DIſſita longinquo ſi nos ſub cardine tellus
Diſtinet, & lætis Gabriel cōgreſſibus arcet,
Nec vice ſermonum dulci traducere tempus,
Aut dilecta licet cupidis coram ora tueri,
Nulla tamen prohibent nos interualla locorum,
Ne ſimul ac libuit celeres volitante per auras
Alter in alterius complexum mente feramur,
Paſcentes mira captos dulcedine ſenſus.
Ipſe equidem curas inter, quas nocte, dieq;
Peruigil innumeras agito, te pectore numquam
Dimitto, numquam celſi venerabile vultus
Excidit ex animo ſimulacrum, & culta loquentis
Quæ comes æterna eſt facundis gratia dictis.
Sed morū nitor in primis, probitaſque, fideſque,
Nobiliumq; animus ſpirans decora alta parentū
Alliciunt crebro meditantem, & neſcia frangi
Euentis rerum aduerſis interrita virtus.
Tu quoque, ſim meritis quamuis præſtantibus impar,
Haud vereor noſtri quin vi compulſus amoris
Corde memor tacito recolas, quā dulciter olim
Nunc Tiberis magni in ripa, nunc amnis ad vndā
Medoàci longas vnà conſumpſimus horas,
Abſentiſq; oculis grata obuerſetur imago.
Atque vtinā laudum vel præmia magna tuarū
Quamprimùm ſacras reuocēt te Martis ad arces,
Aut ego in antiquam patriam multo obſitus æuo
Deferar, ac tecum ſublimi in colle reuiſam
Admiranda tuæ lætus faſtigia villæ,
Æmula Romanis quæ molibus apſide celſa
Ætherij conuexum ingens imitatur Olympi,

Nulla meis deeſſent fateor tum gaudia votis.
Sed quocumque volent nos viuere fata ſub axe,
Nil mihi tam cupida contingat mente peropto,
Quàm noſtra æterno coniungi pectora nexu.

AD PETRVM PAVONIVM *PAVLI QVINTI PONT. MAX.* *Cubiculo Præfectum.*

PErculſum cari te funere fratris acerbo
Triſtia quis largis perfundere fletibus ora
Miretur, queſtuſq; pios, & iuſta dolentis
Intempeſtiuus damnet ſuſpiria cenſor?
Nẽpe tuæ pars magna animæ, pars magna tuorum
Rapta ſimul, cum Parca manu crudelis iniqua
Stamina florentis iuuenis vitalia rupit.
Quis vero gemitum, quis non emittit amaras
Ad Iuli tumulum lacrymas? cui candida morum
Integritas, fandiq; lepos, & verſa benignum
Semper in officium ſtudio flagrante voluntas
Nõ luctum ingentẽ propere intercepta relinquũt?
Ipſe vrbis decus æternum, columenq; Latinæ
Scipio, tot preſſus curis, dum pondere magnum
Subleuat immenſo Paulum, fleuiſſe perempti
Non ſemel immites obitus, & funera fertur.
Iam tamẽ & pietas quantũ tua plurima, quantũ
Inſignis poſcebat amor te Petre dolentem
Vidimus, atq; animo mœrorem indulſimus ægro,
Vlterius luxiſſe nefas, nec flendus in æuum
Quem ſuper aſtrigeros orbes flãmantis Olympi
Credibile eſt veræ iam præmia carpere vitæ.
Inde illum noſtras aciem dum flectit ad oras,
Et verſa in geminos ſpectat tua lumina riuos

Affari

Affari te hac voce puta, Parce optime tandem
Parce pijs lacrymis, & quas abeunte querelas
Germano commouit amor, ſors læta recepti
Felicem in patriam ſiſtat. iam luce beata
Cerne fruor, ſummiq; premo pede cardinis axem.
Sed mea nil minuant iacturam gaudia veſtram,
Mœſta tamen grauibus ſubducito pectora curis;
Ne funeſta tuo ſit Principis aula dolore,
Fidus in excelſo vigilas cui limine cuſtos.
Nec longè quærenda tibi quæ exempla ſequentē
Certa regant, memori tantùm ſub corde reuoluas
Ingentis qua laude animi, quàm fortibus armis
Inuictus cladi ſubitæ ſe obiecerit Heros,
Cum dulcis comitem vitæ, ſociumq; laborum
Eripuit dilectum illi mors impia fratrem.
Non dolor indignas auguſto pectore voces
Elicuit, non ſacra manu languente remiſit
Fræna, quibus vaſti moles obtemperat orbis.
Hinc luctus diſce modum, nec tarda ſequentur
Tempora, cùm meritis præſtantibus ille rependet
Debita munificus iamdudum præmia, teq;
Plenius eximio attollet ſolatus honore.

AD ALEXANDRVM Taſſonium.

SAcra quaterdenis de more indicta diebus
Orbe citus volucri ieiunia rettulit annus;
Iamq; aderit populi riſu celebrata frequentis
Lux, mediam ferro vetulam qua credit acuto
Turba Palatino ſimplex ſub monte ſecari.
Quos tamen hinc abiens nos expectare iubebas
Prodigus eloquij, nondum conſpeximus vllos
Inferri noſtris epulis tua munera piſces.
Num pelagi infidos mores edocta propinqui

Gens

Gens tibi mendaces Neptunia tradidit artes?
An potius Tyrrhena vagus dum littora luſtras;
Et modo flammiferum tibi ferrea fiſtula plumbū
Spargit in aërias volucres, modò retia ponto
Lata trahis, leporeſve agitas, immenſa voluptas
Infudit noſtris ingrata obliuia rebus?
Forſitan & ſtudio captus grauiore perurges
Sacrū opus aſſiduus ſcriptor, quo ingentia magni
Baroni breuibus claudens monumenta libellis
Nectarea donas Tuſcæ dulcediae linguæ.
Aut feſſæ requiem menti deſueta Camœnas
Suauiloquas ad plectra vocas, pugnataq; ſæuis
Prælia diſſidijs, Rhenumq; Padumq; tumentes
Cædibus ob raptam lymphis putealibus vrnam;
Et gentis captum Sardæ in certamine Regem
Concinis, immiſtis foccò ridente cothurnis.
Sed mora te officij immemorem quæcumque retardat
Taſſoni, ſeu ſpreta negas promiſſa, nouamq;
In ſpem ſollicitas, ſeu verba dediſſe fateris,
Scribe aliquid ſaltem nobis, & muneris inſtar
Hoc erit ingentis: ſic noſtræ ad dulcia rhedæ
Colloquia incolumem, fortunatumq; reducat
Te primo Zephyri cum flamine Cæſius heros.

AD COMITEM
SCHINELLAM
de Comitibus.

NIl male quot pelago ſoles eduxit Eoo
Poſt abitum Schinella tuū Tithonia coniux
Dinumero, Hadriacas Picœni ad littoris vndas
Te Lauretana lux craſtina ſiſtet in vrbe,
Et qui virgineam ſanctæ genitricis in aluum

Delap-

Delapſum cœpere deum venerabere ſupplex
Corde lares humili, & pia vota in limine ſolues.
O vtinam precibus ſacris, quas pectore puro
Effundes, cari adijcias quoque nomen amici,
Et veniam miſero expoſcas, requiemq; malorũ,
Quæ premere ingrati dudum me ſtrata cubilis
Et longas adigunt inſomnem ducere noctes.
Nec vero officiũ eſt vllum, quod cognita multo
Non tua iam pridem probitas mihi ſpondeat vſu.
Iamq; vigens morbo edomito, validusq; relictis
Vt nouus exuuijs videor iuueneſcere ſerpens,
Ac te Flaminiæ redeuntem in limine portæ
Excipere amplexu dulci, curruq; receptum
Celſa Cobelluti ad magni perducere tecta.
Hæc ego dum cupida fingo mihi gaudia mente,
Ac te quacumque ingrederis conſector euntem,
Suſceptam tu abſolue viam, leuibusq; quadrigis
Aemiliæ per plana volans contende penates
In patrios, Phrygijq; Antenoris alma reuiſe.
Inde vbi mole animum curarum ingente leuaris,
Quæ procul inuitum Latijs abduxit ab oris,
Rumpe moras, fideiq; memor ſeptena Quiritum
Ad iuga dilecti fratris cum prole recurre.

AD GASPAREM *Scioppium.*

Exiluere nouo Scioppi mea pectora ſenſu
Lætitiæ, vt didici Pappi narrantis ab ore
Te ſimul Ocnææ nebulas, & flabra paludis
Noxia mutaſti Inſubrum felicibus auris
Infenſam pepuliſſe ægro de corpore febrim
Luce recurrentem quarta, ſæuoſq; dolores
Qui toties miſſo hauſerunt tibi ſanguine venas.

Gaudia nūc tāta ingeminat quod te ocia nactū
Immenſa admirans video dum debita magnis
Cura voluminibus doctas quibus inſtruis artes,
Interdum noſtrę incompta ad modulamina muſę,
Et rudis ingenij nugas transfertur inanes.
Atque vtinam quæ multa tibi mendoſa legēti
Occurrunt, lapſumq; putas properantis inertem
Eſſe manus, ne fœdą meæ ſint crimina culpæ.
Nec dubito errarim grauiter quin ſæpe, tuoq;
Indigeam monitu, & cupio quas lege benigna
Mentis ob ignaræ labem peccantibus olim
Socratica indixit ſapientia, pendere pœnas.
Scilicet vt noſtris cenſor quæcumque ſeuerus
In ſcriptis praue offendas formata; recudam,
Aut nequit id fieri ſi recte, prorſus omittam.
Quòd mihi Pieriæ Phœbus ſi frondis honorem
Deneget, & ſiluæ Parnaſſidos arceat antris;
Quod tamen ille ſui præceptum inſigne ſacrauit
Inſcriptum foribus templi, te auctore ſecutus;
Me noſcam, patiarq; libens tantæ inſcius artis
Omnibus à doctis Scioppi indoctisq; vocari.

AD VINCENTIVM Graminium.

FOrnicibus longis, & tramite clauſa latenti
Voluitur ex altis præceps quæ mōtibus vnda
Quo magis in pronum rapido cadit incita lapſu,
Hoc niſu maiore, ſolum cum contigit imum,
Obijcibus fremit inuentis, tubuloſq; per arctos
Luctatur agens latices, & verberat auras
Ardua multiplici ſurgens in nubila fonte.
Sic tua, quæ duro longum depreſſa tenore
Pertulit obſcuras Vincenti docte latebras
Fortuna, inuidiæ tandem per clauſtra malignæ

Inue-

Inuenit patefacta viam, iamq; exerit atris
Os tenebris, ſummiq; plagas meditatur Olympi.
Nec fruſtra. En Latiæ Princeps columenq; iuuētæ
Pontificis pia cura ſacri ſublimibus auſis
Præſens numen adeſt, animiſq; & viribus auget
Erumpentem altas optatæ lucis in oras.
Tu merito æternas facundæ munere linguæ
Redde memor grates, & quas felicia laudes
Sidera diuini Iuuenis præſtantibus actis
Promittunt, tua perpetuos victura per annos
Sol noctem quacumque fugat, monumenta loquantur.

AD MARCELLVM NOBILIVM Clementis VIII. Pont. Max. Intimum familiarem.

ROmulea feſſus cùm vix exceſſeris vrbe
Pontificis magni comes, vt florentibus agris
Oblectes Marcelle animum, te noſtra laceſſit
Intempeſtiuis, fateor, nunc pagina dictis.
Officio ſed parce pio. Scis optime quanto
Sit cultu veneranda ædes, quæ preſſa beatis
Cælicolum regis pedibus ſacra marmora ſeruat.
Hic decus haud vlla tantum mihi laude merenti
Bis quinos ſuperum iuſsit parere miniſtros
Magnanimi Sixti pietas, hinc anxia dudum
Sedulitas iniecta animo, vt diuina decoro
Munera tractentur ſtudio, verūm obijce crebro
Impius illudit noſtris conatibus hoſtis.
Quid tibi direpti narrem diſpendia cenſus
Maxima? quid domus iniuſte intercepta, nouusq;
Inductus noſtris memoretur ſedibus hoſpes?
Ipſe etiam comitum nuper de claſſe meorum.

Præcipuus, cui ſacra loci commiſſa ſupellex,
Ah miſer, affectos concepta tabe per artus
Lethalis tacito flammæ conſumitur igni,
Nec potis eſt animo in veteres incumbere curas.
Quod niſi quamprimum validis præſtantior alter
Viribus excipiat feſſum, ſubeatq; labori,
Iam turpem neglecta ſitum pia limina ducant
Iam celebres turpis late ſitus obtegat aras.
Ille quidem duri agnoſcens diſcrimina caſus,
Deſerti & memor officij, ſua tradere digno
Munia ſollicita iampridem mente peroptat,
Sed morbo infelix, & paupertate maligna
Oppreſſus rogat extremæ ſolatia vitæ
Antiquo è reditu ſibi commoda parua relinqui.
Quare age nobilium ſplendor Marcelle virorum,
Sacræ aulæ Marcellæ decus, ſi priſcus honoris
Diuini te exuiit amor, pia vota benignas
Facunda fer voce libens ad Principis aures.
Ille operis pariter flexus pietate, tuoq;
Vt ſolet alloquio, optatis bonus annuet æquis,
Nos tibi perpetuos grates referemus in annos.

AD PAGANINVM Gaudentium.

INcuruo liquidū tibi vomere ſcinditur æquor,
Per ſummos agitur montes cita remige puppis,
Ardua venaris per inania retibus Euros,
Si ſperas monitu aſſiduo, blandisq; querelis
Fortunæ exultantem aura, & florentibus annis
Rurſus in anguſto ſublimis tramite laudis
Siſtere dilectum iuuenem, quem mollia furtim
Incauto obrepens animo ad ſolatia vitæ
Abripit à fido pridem cuſtode voluptas.

Ille

Ille quidem cupidas tua dulcia dicta per aures
Accipere, & pectus demittere fingit in imum,
Viſæ etiam rorare genæ pulchroq; pudore
Suffundi vultus, cum te accuſante fateri
Cogitur aut ſegnem ſcribendi in munere curam;
Aut doctorum hominum parcè tractata legendo,
Quæ ſæclis memoranda olim liquere futuris,
Nec deſunt,quę verba pudor lacrymæq;requirũt.
His facilem te cœpit vbi, victorq; receſſit
Iratum genium ceu placaturus in ædes
Conijcit:aut Marij ſe veſpertinus, & inter
Crebra hilaris longam traducit pocula noctem,
Improbiusve aliquid prauè molitur, & vrget
Heu miſerum. Quas ferus opes,quos flebit honores
Effluxiſſe ſibi cum ſponte ambiret inertem
Gratia plaudentis domini? quæ immenſa dolebit
Gaudia neglectu ignauo eluſiſſe ſuorum?
Tu vero quamquam toties deceptus inanem
Te ſumpſiſſe operam ſentis, ne feſſus omitte
Incœptum, laudem officij laturе perennem.
Quidquid erit,nec forſan erũt vota irrita ſemper,
Nonne vides tenui durum quoque puluere findi
Marmor, & attactu populi reptantis ad aras
Aerea cælicolum decreſcere limina templis!

AD IOSEPHVM Perſicum.

AGminis Aeolij non vltimus arida contra
Arua furit Libyæ ventus, qui flamine tætro
Turbidus obſcuras in ſe trahit vndiq; nubes.
Huius ego in morem venti te infenſus acerbo
Admonitu iuuenis dum fortunate laceſſo

Dignus eram qui abs te irato pro nubibus atris
Verborum tonitrum, & conuitia ſæua referrem.
Tu tamen ingenio parcens, aciemq; retundens
Vindicis eloquij leuiter pupugiſſe nocentem
Vrbano placidus dicto ſatis eſſe putaſti.
Quæq; ſenis tetrici poterat cenſura videri
Viſus amor magis eſſe tibi: ac ſi vera fatendum,
Omnis in hoc animi noſter fuit error amantis
Dum ſimili vt face correpti ſueuere tuarum
Peruigil aſſidua vexo me indagine rerum.
Quæq; geri me clam timeo praua omnia duco.
Quòd ſi huius tantum damnor tibi crimine culpæ,
Tot meritis laudum titulis te ad ſidera tollam
Quot quæſita tibi mendaci in carmine nuper
Turpia conquereris non iuſtæ opprobria famæ

IN LIBRVM AVGVSTINI GALLI De re ruſtica.

CEnomanum priſca inſignes de gente coloni,
Pinguia formoſi qui circũ flumina Mellæ
Vertitis immenſi felicia iugera campi,
Ferte preces in templa pias, pia munera ferte,
Soſpes vt Hadriacis Gallus referatur ab vndis,
Artis honos veſtræ Gallus, cui maxima quondam
Montibus in patrijs agri præcepta colendi
Mænalius Pan noſſe dedit. Vos ille recluſis
Theſauris, quos alma ſinu fouet vbere tellus,
Spernere fulgentes Hermi felicis arenas
Iuſſit, & innocuis opibus ditauit agreſtes.
Nam docuit qui culta labor Cerealibus arua

Fru-

Frugibus, & dulci colles fœcundet Iaccho.
Irriguus quo fonte liquor ſitientibus herbis
Influat & pecori campos irroret alendo.
Nec mora limitibus vernantia dirigit æquis
Hortorum ſpatia, & longum ſecurus in annum
Exhauſtas dapibus menſas inſtaurat inemptis.
Tum vitreas apibus lymphas, caſiamq; thymumq;
Sufficit, & lento circumlita glutine tecta.
Illæ alacres operi inuigilant, & florea carpunt
Gramina, vimineis creſcit præda vndiq; textis,
Et liquido manant diſtentæ nectare cellæ.
Nil adeo intactum liquit. mirata docentem
Suſpicit, & ſacræ iam, ſi fas, ædis honore
Cultorem colat ipſa ſuum gratiſſima tellus,
Vt rudis antiqua pietas ætate ſolebat,
In longos cùm cœpit humum proſcindere ſulcos
Triptolemus, laticesq; nouos monſtrante Lyæo
Dulcia ſollicitas pepulerunt pocula curas.
O fortunati nimium, quibus ocia longa
Inſontes peperere artes, monitusq; verendi,
Vos pia cælicolum ſacris date munera templis,
Vos caſtas adhibete preces, vt lætus ab vndis
Hadriacis patrias Gallus referatur ad oras,
Veſtraq; diuinas in commoda proroget artes.

INSIGNIS CVPRESSVS Equitis Salentini ſubitæ vi tempe-ſtatis radicitus eruta.

NObilibus Prioli nuper ſurgebat in hortis
Deliciæ domini, atque vrbis formoſa cu-preſſus,
Quam vada longinqui vectam per cœrula ponti
Ipſe ſuis paruam manibus commiſerat olim

Telluri, cuſtosq; vigil ne frigore ſæuo
Inualidam Boreas, neu feruida læderet æſtas,
Viderat excelſis in nubila tendere ramis.
Illius ingenti Aonides perſæpe ſub vmbra
Lætantes duxere choros, Latonius illam
Laurigeris Pindi ſolitus præponere ſiluis.
Nec verò immenſas luſtrat dum lumine terras
Omnia cernenti ſe pulchrior obtulit arbos,
Aut illi magis aſſimilis, quæ prima nitentes
Texit odorato Cypariſſi cortice vultus.
Quid tamē heu miſeræ domini tibi cultus amātis
Profuit, aut muſis, & Phœbo grata venuſtas?
Scilicet eximium quidquid fors læta profuſis
Muneribus cumulat, ſummoq; attollit Olympo,
Inſequitur lapſu caſus grauiore propinquus.
Sic te ſublimi peteres cùm vertice cælum
Innumeris florens donis terræque, polique
Euertere vices duræ, & vis improba lethi.
Nam ſubitus gelido emiſſus de cardine turbo
Horridus incumbens ima ab radice reuulſam
Effoſſa ſuſpendit humo, ingentiq; fragore
Dilectis alte raptam proſtrauit in hortis.
Sed crudele tibi tantos ſi inuidit honores
Exitium, fractusq; iacens ſine nomine truncus
Aſpera perpeteris ſtridentis vulnera ferræ,
Hæc partam tibi crede tamen per funera nullis
Fortunæ obiectam telis in ſæcula vitam
Nam cineres magni vt Realini, & ſancta recōdes,
Quæ pietas inſignis heri tibi deſtinat, oſſa.
Tu quoque dū populi fluet vndiq; turba precātis
Sacratum ad tumulum crebris dignabere votis,
Et quacumque oriens fugat aurea Lucifer aſtra,
Magnanimi æternas Prioli teſtabere laudes.

LIBER VI.

AD FEDERICVM Cornelium Patauij Epiſcopum.

PAſtorum Federice decus, quem magnus ab altis
Montibus Orobiæ, gelidoq; à flumine Brembi
Tranſtulit Euganeam cæli regnator in vrbem,
Grámina ſecuro vt carpat felicia morſu
Grex dudum deſerta metu per luſtra pererrans
Deuius, & puræ ſe fontibus abluat vndæ,
Sume libens placido iuuenilia carmina vultu,
Carmina, quæ ſanctæ incenſi pietatis amore
Dulcibus Aonij nemoris deducimus antris,
Iiſdem ego te auſpicibus muſis, ſi flamine cælum
Prouehat optato adſpirans ingentia vota,
Trans mare Atlantæum, trãs æquora gurgitis Indi
Laude ferã celebri, & numeroſa in ſęcula mittam.
Non ego me cenſu locupletis vt vbere templi
Efficias ditem poſco, non muneris vlla
Ingentis tecum defungi parte peropto,
Namq; alias longe ad curas, ad diſſita longe
Littora Tyrrheni me Tibridis euocat vnda.
Tantum parua peto. Vita mihi carior ipſa
Antiquos patria frater colit vrbe penates,
Pierij non ille chori, non inſcius artis
Palladiæ: ſed ſancta fides, pietasque, pudorque.

Ingenuus meritis auctum potioribus ornant.
Hunc tibi perpetuò addictum, verumq; tuarum
Admiratorem laudum, me abſente benignus
Præſidio vt tueare tuo, cupioque, precorque.
Sic lætum properante diem Sol aduehat axe,
Qua rutilos Tyrio crines ſplendore niteſcas,
Et Pylij per terna ſenis tibi ſæcula vitam
Aurato ducant felicem ſtamine Parcæ.

AD PETRVM VRSINVM.
Spoleti Epiſcopum.

IAm nitidum bis luna iubar pleno extulit orbe
Lucida ſidereo fraternæ lampadis igne,
Rurſus & abiunctis per cælum cornibus errat,
Ex quo mi iecore in medio, gracilesq; per artus
Inſolita cæpit ſanguis ferueſcere bile,
Aridaq; æterno pruritu exurere membra,
Siue quod attactus mollis me corporis ægri
Incantum miſerè violento infecerit æſtu,
Diraq; per teneras ierint contagia fibras.
Siue ſub inſueto cælo, & procul vrbe paterna
Dum moror, indomiti ſpumantia pocula Bacchi
Largius exhauſta intulerint crudele venenum.
Quicquid perniciem morbi hanc inuexit, ab illo
Tēpore me innumeros memini perferre dolores.
Ac primum vlceribus ſparſim conciſa minutis
Informis labes humeros ſe effudit in altos,
Et ſummam perlapſa cutim feruore perenni
Abſtulit optatos curarum obliuia ſomnos.
Tum geminos circum paulatim amplexa lacertos
Pectoraq;, & curuam confecti corporis aluum
Inuiſum arripuit femora inter turpia greſſum,
Et viru ſerpente genu per vtrumque cucurrit.
Illa

Illa etiam vetitas auſo prouecta nefando
Irruit in latebras, & quam natura, pudorque
Obtegit, arcanam populata eſt improba ſedem.
Quid verò loquar vt miſero furor additus ægro
In proprios ſæuire manu crudeliter artus,
Et latera, & ſcapulas vngui lacerare cruento?
Hæc animum ſtudia exercent, ea cura fatigat,
Interea cœtu vitam ſecretus ab omni
Infelix agito, ac torpore abſumptus inerti
Non domino præſente frui, non verba loquentis
Excipere, aut fidis valeo committere chartis.
Quid faciam? abſtinui dudum flagrantis Iacchi
Muneribus, parcaq; manu tenuiſſima ſumpſi
Fercula, & inſulſis aſſueui accumbere menſis:
Nec dubitaui etiam tætra me ſulfuris vnda
Abluere, & ſucco liuenti obducere membra,
Aſpera quem folijs Rhododaphne effudit amaris.
Sed labor in ventos, atque irrita cura receſsit.
Iamq; mihi tanto ſpes in mœrore relictus
Vnica tu patruæ vera ò virtutis imago
Vrſini columen generis, quem tempora mitra
Cingentem bifida bellator ſuſpicit Vmber.
Tu mihi, ſi quis adhuc veterũ tibi ſenſus amorũ,
Affer opem, tantosq; libens auerte labores.
Nec tibi rere humiles curas, medicumq; parari
Forte miniſterum, laribus tibi iunctus in iiſdem
Diuina celeber Podaliri eſt Cattus in arte,
Cui ſoli intrepidus caram concredere vitam
Sum ſolitus, patrio poſtquam procul amne relicto
Medoaci flauas acceſsi ad Tibridis vndas.
Hunc doctæ fœcunda iube penetralia mentis
Excutere, & ſcriptis celerem mandare tabellis,
Quæ ratio tentanda mihi, quæ certa ſalutis
Exploranda via eſt, omnis depulſa repente
Tam dira vt miſero decedat corpore peſtis.
Sic tu, quem colere æternos meditabar in annos,

F 5 Quòd

Quòd Romę extuleris me,& clara in luce locaris
Mox geminum mihi numen eris,ſemperq;fatebor
Fortunam tibi me, ac vitam debere receptam.

AD ALOISIVM LOLLINVM Bellunenſium Epiſcopum.

INſignes candore niues, quibus improba longę
Ætatis me aſperſit hiems fortaſſe merentur
Vt mihi Cygnæam tribuas Lolline ſenectam.
Sed nitor excelſæ te purus mentis, & omni
Labe carens probitas, hauſtæq; è fontibus vndæ
Permeſsi, & faciles in dulcia carmina muſæ
Ante alios tanto dignum teſtantur honore.
Me verò, immeritis poſthac ne laudibus ornes
Sat fuerit Cyrrhæ magnos vos inter olores
Euganeæ raucam ſiluæ appellare cicadam.
Nec tamē hinc decus exiguū mihi ſurgere credes
Si memor in mentē reuoces, quæ maxima quōdā
Audijt ingentem Platani felicis ad vmbram
Formoſus reſerata ſibi myſteria Phædrus.
Scilicet vt mundi per ſæcula læta recentis
Eximia virtute viri de ſemine claro
Tettigis Aonias ſic delexere ſorores,
Vt ſeu nox tenebris orbem velaret opacis,
Seu terras nitido radiaret lumine Titan
Perpetuis tererent hilares in cantibus horas.
Iamq; cibi immemores prorſus, blandæq; quietis
Ægra dabant duro per ſiluas membra cubili.
Pieridum cum grata cohors miſerata iacentes
Exuit antiqua forma rurisq; canoras
Fecit aues, certaq; ſibi ſub lege ſacrauit.
Omnis vt oblitæ ſomni, victusq; per agros
Errantes de more agerent noctemq; diemq;

Mulcerent numeris indeficientibus auras,
Dein facilis poſt ſortem obitus ſublimia Pindi
Ad iuga felices animæ laticesq; volarent
Caſtalios, coleretq; pius quam quiſq; Camœnam
In terris vates fido ſermone referrent,
Promeritos placido vt ſpectarent numine diuæ.

AD COMITEM Pomponium Taurellum.

QVid mihi tot calamo tecum mirare ſilenti
Tranſactos Taurelle dies? quid ſæuus amaras
Fundis in immeritum ficta ſub laude querelas?
An potuiſſe meo forſan tua maxima reris
Elabi benefacta animo, atque ingrata repente
Nominis immemorem ſubijſſe obliuia veſtri?
Scilicet ante ſuos ſiſtent vaga ſidera curſus,
Ante pater verſo Eridanus petet agmine fontes,
Quàm vultus ſimulacra tui, quàm mentis imago
Excelſæ, probitasque, & ſummis cognita rebus
Excidere à noſtro valeat tua pectore virtus.
Quòd ſi belligeræ poſtquam nos mœnia Parmæ
In patrios miſere lares, Latonius axe
Tranſmiſit rapido inflexum duo ſigna per orbem,
Nulla tamen noſtris te affata eſt pagina dictis,
Id moles curarum ingens, obiectaq; menti
Congeries rerum effecit confuſa mearum.
Nā cùm tot patria infelix procul vrbe per annos
Abſuerim, tot amore mihi, vel ſanguine iunctos,
Proh dolor, ante diem tulerint crudelia fata,
Tranquilla pro pace animi, pro munere læto
Felicis ſtudij ſæuo excepere labore
Innumera ingratæ redeuntem incommoda vitæ.
Adde ſalutantum coetus, & inania verba,

Adde immēſi operis pōdus, quod te auſpice nuper
Inualidi ſubiere humeri. Quid templa preceſque
Aſsiduas memorem, niueæ quas tegmine veſtis
Induti in ſeptem diſtinctas fundimus horas?
Hæc quoque vt inuito genio muſisq; ſiniſtris
Condita teſtentur noſtros tibi carmina ſenſus,
Exiguam nocti partem blandoq; ſopori
Surripere, & vigiles cogor producere curas.
Quod ſi cælicolum iuſtis pia numina votis
Annuerint, ſi ſponte mea me ducere vitam
Fata volent, omni quamprimùm compede liber
Hinc celeri aufugiens curſu me ad limina veſtra
Proripiam, veſtris adero congreſsibus iſtis,
Quos ſacer Aonidum princeps, doctæq; ſorores,
Quos celebrat placido Tritonia numine virgo.
Tum querulo tecum dilecti funus amici
Illacrymans cantu repetam, promiſſaq; caro
Iam pridem capiti ornabit pia nænia buſtum.
Tum litui grauiore ſono fera prælia condam
Magnanimi Herois, cuius longo inclyta bello,
Inclyta iuſtitiæ ſtudijs exempla ſecutus
Inſuetam ſuper alta viam Ranutius aſtra
Molitur tanto ſoboles nunc digna parente.
O vtinam properans felici affulgeat ortu
Expectata dies, quæ triſtis nubila cordis
Atra fuget? læto interea te proſpera vultu
Aſpiciat Taurelle ſalus, longosq; per annos
Dulcis amicitiæ nos inter proroget vſum.

AD SIGISMVNDVM Boldonum.

Viciſti: rupere meæ vincla indita linguæ
Succeſſus rerum læti Boldone tuarum.
Iamq;

Iamq; manum calamo admoueo, tacitoq; latẽtem
Corde loquax hilarem depromit pagina ſenſum.
Debuerant multo antè quidẽ me dulcis amici
Expectata preces blandæ ad reſponſa vocantis,
Et precibus miſtas iaculantia verba querelas
Exprimere alternas inuito à pectore voces.
Sed mihi ſeu torpens annis, morboq; ſenectus
Seu miſeris aulæ mens vana exercita curis.
Deſidiæ ignauum tætræ offudere veternum.
Nec vero inficior, tua me præclara legentem
Scripta, fluunt pura largi quæ nectaris vnda
Iuſto etiam tacuiſſe metu, ne ignarus, & infans
Certaſſe eloquij tecum de laude viderer.
Nunc obſiſtat idem quamuis torporq; metusq;
Non tamen vſque adeò præcordia vincta rigenti
Caute gero, aut diras æquo feritate leænas,
Vt mea te vlterius iuſtiſſima gaudia cælem.
Quin laudes ſuper aſtra tuas nomenq; decusq;
Immortale, ingens ingenti ex hoſte relatum
Vſque feram, nec ſancta patrum conſulta ſilebo
Quorum iudicio ingenium, doctrina, laborq;
Promerito tribuere tibi quem gratia multis
Parta per indignas artes quæſiuit honorem.
Hoc agito, hæc celebranda mihi: ſic magna
Lycei
Atque Academiæ te arcana audire docentem
Fas foret, ac denſas iuuenum ſpectare cateruas
Te duce quos vitæ captos cæleſtis amore
Arduus ad ſummum callis perducit Olympum.
Quod licet interea non fruſtra optaſſe, rogabo
Vt me tam longæ damnum ſarcire parantem
Segnitiæ, crebro vt quondam ſermone laceſſas.

AD FRANCISCVM *Bencium*.

IMmodicus linguæ nuper luſusq; procacis
Docte decus Bẽci Aonidum te incautus acerbo
Aſperius dicto pupugi, dum nomen amici
Sector inurbanus lepidi riſumq; laceſſo
Qui tua corripuit ſubitis præcordia flammis
Senſi & iam tumido vltrices de pectore voces
Promentem verbis lenitum dulcibus ibam.
Nequidquam, grauis ira tuas nã clauſerat aures.
Nunc vbi, ni fallor, te mitior incitat æſtus,
Et ratio antiquas vires labefacta reſumpſit,
Da precor oranti veniam, dirumq; venenum
Dulcis amicitiæ triſtes depone querelas.
Peccaui, quis verò omnes delicta per annos
Omnia vitauit ſapiens? cui læſa ſodalis
Mens imprudenti nunquam? tranſacta recenſe
Tempora, diſſidijs actas ingentibus vrbes
Inuenies, rurſumq; animos in fœdera iunctos
Poſt crudelia bella, & opertos ſanguine campos,
Nos quanto citius noſtras componere lites
Eſt æquum, rapidisq; Noti dare flatibus iras
Parua quibus minimæ tribuere exordia cauſæ?
Te vero in primis animi documenta sereni
Clara decet præbere, Deus quem tramite tuto
Omnipotens cæli contendere iuſſit ad arcem.
Scilicet æternis ſuperum nil cœtibus æquè
Auerſum, ac tumidæ immitis diſcordia mentis.
Sidereos pax alma choros, ſedesq; beatas
Semper habet, ſemper felicibus incubat oris
Sanctus Amor, vincitq; ſacro pia pectora nexu.
Illum diuina ſpirantes mente viciſſim

Hinc

Hinc pater, hinc opifex ingentis filius orbis
Propagant pariterq; Deum, pariterq; regentem
Imperio cælum ac terras, & numine magni
Flaminis ætherios animos in ſæcula iungunt.
Horum ſi adſcribi numero, ſi pergere ad aſtra
Celſa cupis pedibusq; polum calcare nitentem,
Pone ſupercilij faſtidia, meq; vetuſtis
Inſére amicorum tabulis, vnde improba bilis
Iudicio immeritum properè deleuit iniquo.

IN ARGENNIDEM Ioannis Barclai.

AVdijt vt magni prímùm Ciceronis ab ore
Eloquij præſtante Molon celeberrimus arte
Aurea Cecropio manantia nectare dicta
Obſtupuiſſe diu tacitus, dein fertur acerbis
Aſpera Graiugenum fata incuſaſſe querelis
Quos decus oblitos priſcæ virtutis in armis,
Oblitos doctæ ſtudium immortale Mineruæ,
Ipſa etiam patriæ inſignis facundia linguæ
Deſereret, dominamq; orbis migraret in Vrbem:
Quam mutat fortuna vices, nunc maxima rerũ
Roma dole. quibus en populis trãs ardua clauſtra
Italiæ, non laude magis fera bella gerendi
Quam vereris pure cultum ſermonis ob vſum
Gaudebas meritò quondam admiranda vid: ri
Hos inter nunc mœſta vides te verba ſonante
Barbara, & infecto Geticas ab ſanguine vocas
Antiqui dulces Latij florere lepores.
Aſpice ad Oceani exremos quem Gallica fluctus
Ora Caledonij genuit de ſtirpe parentis
Vt ſimul ingenio, & lingnæ vernantis honore

Auguſti

Auguſti referat felix Barclaius æuum.
Aſpice quot famæ iam commendata perenni
Ediderit doctis pridem monumenta libellis.
Et nunc ille animi certiſſima ſigna latentis,
Et docet ingenitos populis deprendere mores
Subijciens oculis longè diſtantibus orbem.
Nunc Regum innumeris exercita pectora curis
Sciſſa inter procerum ſtudia, inſidiasq; clientum,
Semper & infidas ſperantibus exprimit aulas.
Ille etiam æratas in prælia ſæua cohortes
Ducit, & humano perfundit ſanguine campos
Aut feſſæ iucunda ciens certamina menti
Diſſidijs placidos pugnacibus armat amores.
Flexanimæ o Charites fandi, ò tanto inclytæ ciue
Dedecus in noſtrum maris vltima terra Britanni.
Parce tamen mea Roma queri. ſe ſe ille tuorum
In numerum iam ſponte refert nomenq; Latinum
Principis Auſonij donis ingentibus auctus
Prouehit, & ſegnes poſt tempora longa Quirites.
Ad veteres ſcriptis inſignibus excitat artes.

AD ALEXANDRVM Pollinum.

SI rapidos curſu Ladas dum præterit Euros,
Iamq; refert populo inſignē plaudente coronā
Se tardum, claudumq; vocet; ſi viſcera terræ
Intima luminibus Lynceus dum luſtrat acutis
Se lippum ferat, ac talpam, quis ſanus vtrumq;
Non multo iuſtè cum riſu exclamet ineptum?
Quam te igitur laudem cenſes Polline mereri
Carmina qui condens muſis, & Apolline digna
Te tamen Aonios fontes, Pindiq; receſſus

Lau-

Lauricomos nouiſſe negas, necdum excutis alto
Corde nimis trepidi crimen iuuenile pudoris?
Ah caue ne blãdis metuẽs dare credulus aures
Vocibus, inuidiam culpæ grauioris iniquam
Incurras, teq; infenſis lingua improba dictis
Immodicæ votum tegere ambitionis inane
Forte ſub exigui contemptu iactet honoris.

AD FLAVIVM QVAERENGVM Fratris F.

SI qua tuis olim, Flaui, præſtantibus æqua
Spes meritis cælo affulgens ſe oſtendit ab alto
Optatos nunc crede dies proſperrima lætis
Aſtra ferunt radijs, & gaudia certa propinquant,
Cum tibi tot curas inter terræq; marisq;
Nobilitatis honos Italæ veneranda Senatus
Maieſtas Veneti ſacrorum à Principe ſummo
Debita virtuti eximiæ ornamenta popoſcit.
Quãquam etiã ſi nulla preces euenta ſequãtur
Fortunata pias, fuerit memorabile ſemper
Me tecum (mea quandoquidẽ nec parua relinqui
Obſequia illaudata Patres voluere benigni)
Ad tantum euaſiſſe decus. Sed reddere dignas
Principibus magnis grates quæ culta diſertæ
Nectareo queat eloquio facundia linguæ?
Quæ volucris tanta ingenij vis præpete penna
Magnanimi in cælum Molini attollere laudes
Auſit, & Icarios non exhorreſcere caſus?
Ille quidem vaſta quamuis ſub mole laboret
Imperij, populosq; vigil tueatur, & vrbes
Mente tamen celſa non immemor ætheris alti
Vnde ortus, quò tendit iter templa ardua crebrò
Ipſe ſuis nitens alis percurrit Olympi

Et

Et fruitur pleno diuini luminis hauſtu.
Nec fouet interea ſacra ſecius otia doctæ
Palladis, aut Pindi aſſuetas viridantibus vmbris
Felices animas arcto ſibi iungere nexu
Dulcibus æterni officijs non certat amoris.
Iamq; animi quacumque nitor, pietasq; fidesq;
Laude vigent merita, immenſum quacũq; per orbẽ
Spectanda incedit priſco ſapientia cultu
Eſt hominum communis amor, nomenq; merentis
Nunciã virtutis veræ lati æquoris vndas
Fama volans, latas terrarum perſonat oras.
Sed celebranda magis benefacta ingentia nulli,
Quam tibi, ſi paribus, quæ pectore concipis alto,
Maxima dent ſuperi præconia promere dictis
Nunc rerum numerus iuxta, & præſtantia vires
Exſuperãnt fandi infirmas, nec, ſi omnia poſſis,
Hũc memorare ſatis valeas, quo ampliſſimus ordo
Herois magni auſpicijs te affecit honorem.
Quod ſi promeritis tantis æquare facultas
Se tua dicendi fruſtra haud conatur, & ipſum
Me vetat ægra magis multo id tentare ſenectus
Grati animi ſaltem memores, pia ſupplice vota
Ore ſacras ſuperum Flaui fundamus ad aras
Inuitus procul eſſe diu cæleſtibus oris
Ne ferat, & ſceptro inſignem trabeaque nitenti
Aſpiciat longos Oenotria terra per annos
Reddentem lætis felicia ſæcula terris.

AD EVMDEM.

Aſpicies iterum pulchris in collibus arces
Baſſani, & proauum ſoboles te clara meorum
Hoſpitibus coget lætum ſuccedere tectis:
O quos inuidiæ ſtimulos mihi mente ſub alta
Abſenti tua ſubijciunt nunc gaudia Flaui

Quæ

Quæ cuperem conceſſa meis talaria plantis
Aërias curſu vt properans volitante per oras
Felices ſubito vobis mirantibus ædes
Ingrederer dulciq; frui ſermone loquentum,
Voſque inter poſſem iucundæ accumbere menſæ
Proſpectu poſſem cupidos de turribus altis
Multiplici oblectare oculos, lateque vagantem
Flumine Medoacum nitido, camposq; tueri,
Et valles procul, & montes, quos numina ruris
Cuncta fouent, Pindiq; ſacræ viridantis alumnæ
Has ego cum prima florens ætate iuuentus
Vix teneras flaua vmbraret lanugine malas
Vt vigiles ſtudio curas ceſſante leuarem
Formoſas memini me ſæpe inuiſere ſedes.
Inſignes has ille ſuis natalibus olim
Reddidit, vnde mihi nomen, patriæq; tibiq;
Cardellina decus partum immortale propago,
Quem ſæuo Heſperias bello flagrante per vrbes
Vis animi excelſa ingentis, probitasq; fidesq;
Inuicta, & magnis prudentia cognita rebus
Cæſaris in ſummum merito adſcripſere Senatum,
Et regere imperio populos docuere potentes.
Sin mea diſcerpunt rapidi vota irrita venti
Nec mihi quas vellem ſuperi dant ſumere pœnas,
Mente tamen celeri, ſupereſt quæ ſola voluptas
Lætitiæ ſimulacra volans ſectabor inanis.
Tu vero, permiſſa quies dum grata laborum,
Exple auidum ſenſu pectus, pariterq; vigentes
Corporis atque animi pulchris à collibus vrbem
In patriam vires ad munera magna reporta.

EQVORVM QVERELAE.

Diuitis excelſas domini cum fugimus ædes
Hortatu Quærenge tuo, vilemq; ſubire
Maluimus rhedam, molli quam vellere Serum

Per-

Pertrahere inſignes oſtroq; auroq; quadrigas,
Credidimus fugiſſe ſimul quæ multa ſuperbis
In laribus procerum nocte intoleranda, dieq;
Iam ſenio coguntur equi perferre propinquo;
Dum ne quod ſupereſt æui per inertia ſegnes
Ocia traducant metus eſt, tectisq; ſub altis
Pauca ſuperuacuo conſumant pabula ſumptu.
Ad tua propterea properè nos limina lætos
Spes tulit, optatæ dudum male præſcia ſortis
Nam grauior miſeris moles impoſta laborum,
Dumq; oleum trepidi feruens horremus in ipſas
Incidimus flammas. Sed ſit fatalis equorum
Quem patimur labor æternus, num ſidera turpi
Eſurie nos dura iubent occumbere letho?
Et certè in ſtabulis qui nos ingentibus ante
Curabant famuli furacibus hordea dextris
Parca miniſtrabant, ſtrigiliq;, & ſæpe videntis
Nos oculis domini pingueſcere poſſe ferebant.
Sed tu pollicitis cuius largiſſima victum
Suffectura fuit pleno bona copia cornu,
Pro nitidæ frugis, læti pro graminis eſca
Aſpera limoſæ vix pabula ſuggeris herbæ
Quam ſuperinfuſo corrupit flumine Tibris.
Quòd ſi conqnerimur, diuũq; hominũq; ciemus
Ingenti clamore fidem, quoſq; adfore nullo
Iurabas ſegetis non tempore pinguis aceruos
Poſcimus, iratus minitaris flagra, vocasq;
Annonæ immemores pactæ nam cõmoda quãuis
Multa palàm nobis te promiſiſſe fateris
Hæc tamen eſſe eadem dicis quæ munere magni
Vrbani à fido ſunt expectanda miniſtro.
Qui ſacra ſi nondum ſegnis mandata peregit,
Æquius eſſe illum crebris vrgere libellis
Quam te culpare immeritum. Sic nulla labori
Pauſa datur, nulla exhauſto ſolatia ventri.
Quid ſupereſt? niſi dira prius quã glubat inultos
Stri-

Strigoſa nos pelle fames, vel priſca relicti
Tecta fuga vt repetamus heri, vel fluminis alti
Dum terimus tremulo anguſtas in margine ripas
Præcipitem rapidas vt te effundamus in vndas.

AD AMICVM

Anonymum.

CVm mihi tot veterũ laudes, tot facta recẽtũ
Inclyta multiplici referãt modulamine Muſę,
Non tamen innumeris vſquã tua nomina chartis
Promerito ad cælum tolli indignaris honore,
Scilicet ingenij quo te ſublimior alti
Mobilitas, rapidæq; vehit vis incita linguæ,
Hoc magè virtutum vereor decora ampla tuarũ
Exiguus tenui vates includere cantu.
Quòd licet Aonijs vni mihi fontibus vnda
Deflueret, dulces vni adſpiraret Olympi
Vranie numeros, nondum contingere laudes
Voce tuas trepida auderem, nc forte procaci
Arguerer proceres verſu læſiſſe potentes.
Nam meritis hos deeſſe tuis quis perferat æquo
Te celebrans animo? ignauas quis carcere condi
Diuitias tætro dominis patiatur inultis?
Interea cum tu indigeas, cui voluere fluctus
Auriferos Hermum decuit, ſi gratia factis
Par foret egregijs. imæ tu plebis in vmbra
Abditus obſcura magnorum limina Regum
Mente ſubis, retegisq; altis arcana latebris,
Vnde vices rerum pendent, vnde aſpera ſurgunt
Vrbibus excidia. æternæ tu pacis amore
Inſtruis euentis dubias inſtantibus aures,
Et monitu Heſperias vrbes tutaris amico.

Non

Non ſecus ac triplici amplexus ſi mœnia muro
Arceres tectis diros ciuilibus hoſtes
Non tamen anguſtis laribus depellere triſtem
Pauperiem tibi poſſe datum eſt,non digna laborũ
Præmia longæuæ ſolatia ferre ſenectæ.
Quin potius duri per mille pericula lethi
Ingrediens, cineriq; premens ſuppoſta doloſo
Semina flammarum ingratæ conuitia mentis
Fruſtra expectata dudum mercede reportas.
Quòd niſi tam ſæuo te gloria concitat œſtro,
Vt tibi fortunas, vitamq; inſontis amici
Exiguæ fas eſſe putes poſtponere laudi,
Turpis ab interitu fati te vindice tuta
A noſtris patiare abſint tua nomina chartis.

ANTONII QVÆRENGI

Rhapſodiæ variorum Carminum

LIBER PRIMVS.

MARITIMVM LVMINVM ſpectaculum Sixto V. Pont. Max. exhibitum ad Centumcellas.

NOX erat, & cælum fuſcis amplexa tenebris
Abdiderant ignes nubila ſidereos.
Indignata polum condi, tua maxime claſſis
Sixte faces pelago ſuſtulit innumeras.
Ardebant liquidæ flammis radiantibus vndæ;
Ardebant Tuſci littora curua maris.
Ipſa videbantur, propius te vt ſidera poſſent
Aſpicere, æternas deſeruiſſe domos.
Laudaſti, inuidit cælum, circumq; repente
Stellarum nitidis fulſit imaginibus.
Certabant prius aſtra ſolo, nunc certat Olympus,
Et mare te obſequijs demeruiſſe ſuis.

MARIS TEMPESTAS in eiuſdem Sixti aduentu.

QVid fremit inſolito Tyrrhenus murmure pontus?
Fracta quid æquoreis cautibus vnda gemit?
Sũt maris hi gemitus trepidi, ſunt ſigna pauoris,
Quo timet aduentum maxime Sixte tuum.
Nẽpe timet, tãtus ne accedat ad æquora Princeps,
Vt ſua captiuas ſub iuga mittat aquas.
Pone metum pelagus, nõ Xerxi hic æmulus arma
Apparat in fluctus barbara cæruleos,
Sed mitis, placidusq; venit, bona vt aurea pacis,
Quam peperit terris, nunc ferat ille mari.

Ad eumdem.

ADſiſtunt tibi magne pater, dum conſulis orbi,
Hinc illinc comites Gratia, Iuſtitia.
Præſcribit rigidè ſeruandas altera leges,
Fert placidum miſeris altera ſubſidium.
Illa parem Moſi tabulas è monte ferenti,
Hæc ſimilem ſummo te facit eſſe Deo.

Ad eumdem.

NIlopus eſt ſanctas populis præſcribere leges,
Ne Latio improbitas erret inulta ſolo.
Præcipe virtutum ſpectent exempla tuarum,
Hæc feret ad mores ſemita certa pios.

AD

Ad eumdem.

SIxte nouas iam ſterne vias, iam collibus vndã
  Suffice, lata frequens occupet arua domus.
Scilicet egregijs ſub legibus aucta repente
Vrbs populos dudum non capit alma ſuos.

Obeliſcus ab eodem collocatus ante ædem Vaticanam.

LAtens caducæ ignoto in ædis angulo
  Tegebar alta ruderum
Iam mole, & atras longa ſordes priſtino
  Ætas nitori induxerat,
Cum ſumma docti Principis benignitas
  Decentiore perfrui
Me cultu, & vrbis in beatæ nobilem
  Prodire iuſſit aream.
Hinc arte mira Sixte cunctis indicas
  Te reddidiſſe lumini
Longa ſepultam noctium caligine
  Virtutis almæ gloriam,
Cuius decoram me vetuſta imaginem
  Vouere Phœbo ſæcula.

DE CLEMENTIS VIII. PONT. MAX. mutato nomine.

QVæritis in ſacro Hippolytus qui fulſerat
  oſtro,
Cũ ſummo Clemens dictus in Imperio?

Theſiden rara integritas euexit Olympo,
Sed rigidis idem moribus aſper erat.
Scilicet aſſiduus ſiluis venator in altis
Duritiem à trucibus traxerat ille feris.
Hic mitis probitate pari per nomen vtrumque
Perfecti oſtendit Principis ingenium.

De eodem impudicitiam proſcribente.

SAncta pudicitiæ virtus redit exul in vrbem,
Quid mirũ eſt? vrbi præſidet Hippolytus.

De eodem inter mendicos accubante.

QVid mirare inopum vili conuiuia turbæ
Principis inſueto ſtructa miniſterio?
Illuuies tætra hæc, miſerorum & ſquallor egentũ
Phæbæum ſupera vincit in arce iubar.
Vincit, & æternis raro cum diuite menſis
Accumbens larga veſcitur ambroſia.
Felices inopes, quos arbiter orbis vterque
Alternum meritos poſcit in hoſpitium.
Tu quoq; Pierio felix qui nectare tanti
Accumulas epuli munera Caſtalio.

Ad eumdem Patauinæ Vrbis nomine.

AVdierã Latias Clemens tibi magne per vrbes
Plurima munifica didita dona manu.

Audieram, tacito inuidiæ & perculſa dolore
  Fundebam querulas ſidera ad alta preces.
Numinibus cur ſola pijs contempta relinquor
  Illa ego progenies inclyta Dardanidum?
Ergo nihil miſeram doctæ me Palladis artes,
  Nil numeris iuuit Cynthius Aonijs?
Permouere preces ſuperos, & noſtra repente
  Tu cumulas plena pectora lætitia.
Nam mihi cæleſtis doctrinæ laude, pijsq;
  Moribus eximium tradis ad aſtra ducem.
Hoc vtinam cunctas vt munere vincimus vrbes,
  Sic liceat meritis reddere digna tuis.

AD PAVLVM QVINTVM Pont. Max.

MVneribus ſacræ quamuis ingentibus aræ,
  Celſaq; Mygdonio marmore tẽpla micent,
Non tamen intextas humili ſibi flore corollas
  Maximus ætherio ſpernit ab axe pater.
Tu quoque, diuini Princeps quem numinis inſtar
  Vtraq; ab oppoſito cardine terra colit,
Quæ tibi parua inopes ferimus ne deſpice dona,
  Nil potuit maius qui dare, magna dedit.

Columna ex veteri Pacis Templo eiuſdem Pauli V. iuſſu in Exquilinum translata.

VAſta Columnam mole, quæ ſtetit diu
  Pacis profana in æde, Paulus tranſtulit
In Exquilinum Quintus, & ſanctiſſimæ,
  Pax vnde vera eſt, dedicauit Virgini.

Linquente Nilum Moſe iuſtus impiæ
Opes profanas abſtulit genti dolus.
Quis iuſtè inanis diuæ ab æde maxima
Tranſiſſe pacis me ad parentem perneget?

Impura falſi templa quondam numinis
Iubente mœſta ſubſtinebam Cæſare.
Nunc læta veri perferens matrem Dei
Te Paule nullis obticebo ſæculis.

Celſo vt columnæ oſtendit è faſtigio
Montis beata Virgo portam Cælij,
Sic ſummo ab axe dirigit mortalium
Mentes piorum cæli ad alta limina.

Ignis columna prætulit lumen pijs,
Deſerta noctu vt permearent inuia
Securi, ad arces hæc recludit igneas
Monſtrante ab alta ſede callem Virgine.

Duxit triumphum victa Idume nobilem,
Paciq; Roma immane templum condidit.
De Pace Paulus nunc triumphat impia
Piæ trophæum me perenne conſecrans.

Ignea ſi Moſi oſtendit, populoq; columna
Ad ſacra Iordanis quod vada ferret iter,
Hæc ſummi genitrice Dei, natoq; refulgens
Roma tibi excelſam ſignat ad aſtra viam.

Victor Ieſſeo meritas de ſanguine pœnas
Exciſa ingenti ſumpſerat vrbe Titus.
Æmulaq; imperij genitor bis fregerat arma,
Maxima cum vidit Pax data templa ſibi.
Et caluere diu impuris altaria flammis,
Cæſaq; ſacrilega eſt victima multa manu.

At vera vt fulſit pietas, immane ruinam
Longo neglectum tempore traxit opus.
Vixq; inter lapſi innumera ornamenta ſuperſtes
Vnica, quam cernis, vaſta columna fuit.
Virginis hanc matris Paulus ſacrauit honori
Quintus, & in ſummas tranſtulit Exquilias.
Nunc vbi diuinam magna cum prole parentem
Sublimi expreſſam tollit in effigie.
Et cultu meliore nitens fert numina pacis
Vera, tulit falſæ quæ impia tecta deæ.
Hinc illi aſſurgunt niueo ſacraria ſaxo,
Principis æternis ditia muneribus.
Inde micat gemmis ſpectandum, auroq; ſacellum,
Spectandum ob raræ ſed magis artis opes.
Ante patet facili directus tramite limes,
Quo petitur Cæli porta vetuſta iugi.
Sic pater inſigni Romanus imagine monſtrat
Sit via vt in cælum Virgine recta duce.

IRet Idumeas Moſes ducturus in oras
Cum populum, virgæ cui vi patefacta potentis
Per medias inſueta fugam via præbuit vndas,
Ignoti deſerta ſoli ne luſtra pererrans
Deuius iniuſſis aduerteret agmina terris,
Mirifica numen forma noctemq; diemq;
Adfuit, & dubij rexit veſtigia greſſus.
Nã rutilũ Phœbus cum próſperat æquore currũ,
Et lucem tenebris oriens infuderat atris,
In faciem nigræ nubes denſata columnæ
Signabat certo præcedens limite callem.
At vaga cum cælo iam nox induxerat aſtra,
Heſperioq; diem cælarat gurgite Titan,
Illa eadem flammæ in ſpeciem conuerſa nitentis
Nocturnum monſtrabat iter, quo munere felix
Optatum ductor venit Iordanis ad amnem,
Et generi promiſſa pio procul arua ſupremum

Ante diem potuit lætanti cernere luce,
Maxima quæ ſacris idem miracula chartis
Indidit, & cunctos liquit memoranda per annos.
Nunc eadem, ſed luce nouæ illuſtrata figuræ
Pontificum columen Paulus dat magna tueri
Roma tibi, ingreſſumq; via meliore recludit.
Nam modo diſiectas inter quæ ſola ruinas
Antiqui ſurgebat adhuc vaſtiſſima templi
In cælum Parijs moles deciſa metallis,
Hanc poſito ſquallore ſitus ſplendere vetuſti
Iuſſit, & Exquilias pater optimus egit in altas,
Binaq; inaurato ſimulacra ex ære ſupremum
Extulit in lapidem, quorum mira exprimit arte
Numinis hoc ſummi genitricem, ſpirat in illo
Humanæ aſſertor natus, vindexq; ſalutis.
Aſpice non dubio ſignant vt tramite certa
Ad ſuperos mortale genus quæ ſemita ducat,
Aſpice, & aſſiduis precibus venerator vtrumq;
Vt nouus ætherij dux hic Iordanis ad vndas
Mirandis operum monitis te Roma piorum
Securam longi per tempora dirigat æui.

Eiuſdem Pauli Quinti Statua apud Coſtagutos.

TErna verendum quem tueris Principem
Cinctum corona, hic Paulus ille maximus
Eſt Quintus, orbi quo imperante reddidit
Aſtræa læto ſæcla rurſus aurea.

Eiuſ-

Eiuſdem picta imago in villa Fabij Maſetti.

PArua ſuburbanæ temnis ſi culmina villæ,
Et quæ humilê cingunt iugera pauca domũ,
Ne rogo te anguſtis pigeat ſuccedere tectis,
Quæq; colant noſtros numina noſſe lares.
Sat ſcio, mirifica vt ſpirans in imagine Paulus
Se ſe oculis primum maximus obtulerit,
Quos modo ſpernebas vili cum rure penates
Diuitis anteferes ædibus Alcinoi.

Ad eumdem.

VNdecimum memoranda dies cras inchoat annum,
Qua capiti impoſita eſt trina corona tuo.
Iam procerum lætæ crepitant ad limina ſtammę,
Ardua iam crebra lampade tecta micant.
Ælia fulmineis moles ferit ictibus auras,
Et noua ſublimi ſidera ab arce rotat.
Omnibus populus fauſtis tibi Neſtoris æuum,
Cuncta tibi vnanimi proſpera mente rogat.
Audiat, & vota omnipotens, vocesq; ſecundet,
Aurea te vt vigeant Principe ſæcla diu.

Eiuſdem migratio in ædes Quirinales.

INcoleret magnus dum priſca palatia Princeps
Proxima quæ ſæui prata Neronis habent,

Longa erat, & cæno nunc alte obducta tenaci,
Feruida nunc nimio ſole terenda via.
Sed tum præcipuè populum vexabat euntem
Æſtiuum Phœbi cum rota currit iter.
Nam rapidos nullis radios arcentibus vmbris
Lethifer vrebat torrida membra calor.
Senſit, & excelſas Paulus migrauit in ædes,
Læta Quirinali quas fouet aura iugo.
Inuida quid quereris te plebs Leonina relinqui?
Prælata eſt votis maxima Roma tuis

Ad eumdem.

IActabat lacera miſerum me puppe per vndas
Hadriacas madidi ſæua procella Noti.
Iamq; pauens decimo horrebam ſurgentia fluctu
Æquora, nec vitæ ſpes erat vlla meæ,
Cum tua ſidereo lux candida fulſit ab axe,
Et tumidas placido flamine ſtrauit aquas.
Sic portum tetigi incolumis, ſic maxime Princeps
Nō minus hinc Pollux quam mihi Paulus eris.

VRBANI VIII. PONT. MAX. fons nouus ſub monte Pincio nauis formam referens.

I.

ILiacis quam cernis eram de puppibus vna,
Quas Cybele nymphas vertit in æquorias.
Quid mirum, ſi iugis aquæ ſub imagine priſca
Troiugenis tribuo pocula grata meis?

Pinea

II.

Pinea ſi nigræ conueƈtant texta carinæ
Ebria quæ Bacchi munera Cypris amat.
Vobis Aonidum caſti mea portat alumni
Virgineam niueo ex marmore puppis aquam.

III.

Cum gelidas nitidi fontis ſitientibus vndas
Largiar, & nulli grata lauacra negem.
Quæ tandem inuidia eſt ſi dum ſol cunƈta perurit
In latices mergi cernor & ipſa meos?

IIII.

Qui liquida artificem damnat quòd mergor in vnda
Is cupit in liquida ſit leue marmor aqua.

Rupella recepta
A LVDOVICO XIII.
Galliarum Rege.

OMen habes dixi felicis Gallia belli,
Quod pia pro ſacra relligione geris,
Diſieƈtura tuas cum cœca incendia moles
Ipſa ſuas flammis corripuere rates.
Et ſubita occubuit claſſis dux cæde peremptus
Dum noua pro obſeſſis mœnibus arma parat,

Vix dixi, & cecinit quod mens præſaga futurum
Læta tulit curſu mox properante dies
Expugnata malis tandem Rupella ſupremis
Vicini pœnas horruit excidij.
Et meruere graues exempla nouiſſima culpæ,
Vt lueret dignis crimina ſupplicijs.
Pectora magnanimi ſed clementiſſima Regis
Ferre humiles fl ntum non valuere preces.
Nec modò fortunis parſit, vitæq; ſed omnem
Præteriti ſceleris inſſit ab ſſe metum
Iuſſit & increpitos placido ſermone vocari
In rectam, proaui quam tenuere viam.
Et nunc ille ſui Tellus pulcherrima regni
Suſtinet inuicta libera ſceptra manu.
Felices ambo, tu nulli obnoxia cladi
Tam fortis tanto Regis in imperio.
Ipſe domi longum ſecurus pacis in æuum
Vnanimi populos conſociante fide.
Cælicolum magno interea quas Roma parenti
Perſoluit grates, his pia iunge tuas.
Celtica lætitijs geminentur gaudia noſtris,
In gemino vt concors Principe viuit amor.
Laude Deum celebri pariter, dominũq; canamus
Qui iuſta auxilio roborat arma ſuo.
Rettulit inſignis clara qui in ſtirpe nepotis
Lux ſuperi fulgens te Ludouice chori.
Reddidit in nato patrem, Mauortia facta
Aeternum Magni cui peperere decus.
Laudemus ſine fine Deum, Regiq; precemur
Neſtoreos ſtabili proſperitate dies,
Ingentes imitatus auos vt lilia victor
Aurea Threicia rurſus in arce locet.

Ad eumdem ſingulare certamen proſcribentem.

MEndacis larua dudum contectus honoris
Vaſtabat dirus Gallica regna furor.
Et ſolitã Oceanum pugnax ad vtrumq; iuuentus
Inclyta victrici ſpargere bella manu,
Mutua, proh facinus, diſtricto in vulnera ferro
Publica priuati victima Martis erat.
Senſiſti, & vix ſceptra tibi data maxima rerum
Impia cum ſanctis legibus arma vetas.
Et metus ingentis poterat compeſcere pœnæ
Immenſum fecit quod mora longa nefas.
Dat pietas ſed rara tibi, vt formidine pulſa
Solus agat populos in tua iuſſa pudor.
Iamq; ferox trepidos auertitur ardor in hoſtes,
Ciuica nec patrio ſanguine tela rubent.
Sic Ludouice Pij titulos, Iuſtiq; tueris,
Ardua ſic certa tendis ad aſtra via.

Ad Philippum Card. Segam cum vindemiam ſpectaret.

QVi miſeri fatum Bacchi crudele tueris,
Magne pias Heros funde precor lacrymas.
Ille ego, qui domito duxi ex Oriente triumphum,
Progenies ſummi qui feror eſſe Iouis,
Poſtquam vite diu lenta ſuſpenſus ad auras
Vulnera, ſolem, imbres, frigora, flabra tuli,
Ad prælum ſæuo infelis damnatus ab hoſte
Torqueor, indignis dilaceror q; modis.
Dure negas fletum? mox cum mea pocula ſumes
Ipſa etiam inuita luce dabis lacrymas.

Cardinalis Ferrerij Villa Tuſculana.

I.

REgina quondam dicta, nunc Ferreria
  Sum duriore nomine.
Sed æquè amicis grata, amicis hoſpita,
  Quod ſi voluntas penditur
Heri benigna, haud ferream fatebere,
  Sed auream Ferreriam.

II.

Ne nomen hoſpes horreas Ferreriæ
  Id namq; res haud ipſa, herus ſed indidit,
  Quod voce mauis ſi vetuſtâ abutier
  Reginæ inane ſæpe nomen quæritans
  Linques colendam cæteris Ferreriam.

III.

Regina quæ vocabar, in Ferreriæ
  Sum iuſſa nomen tranſgredi.
Quòd voce lædi ſi vereris aſpera,
  Et priſco inhæres nomini,
Nil te moramur hoſpes, i Ferreriam
  Qui me vocabit incolet.

Origo fontis Paderni prope villam Card. Commendoni.

QVi nouus Euganei prorumpés vertice mõtis
  Defluit vberibus per prata virentia lymphis
Riuulus, & dulces inuitat murmure ſomnos,
Hactenus occultis inter caua ſaxa latebris
Anguſtum peragrauit iter, multoſq; per annos
De-

Delituit, ſuperas fugiens inglorius auras,
Ignotus pecori pariter, pecoriſq; magiſtris.
Iamq; omnis ſquallebat ager, iam gramina tellus
Nulla dabat, nullos redolentia munera flores,
Cùm tulit optatam miſeris fortuna ſalutem
Agricolis, nam forte graui compulſus ab æſtu
Solis, & ingenti defeſſus membra labore
Almon, Heſperiæ populis notiſsimus Almon,
Venerat huc, ſortemq; loci miſeratus in quam
Vmbroſo proiectus humi recubauit in antro,
Mox citharâ manibus ſumens, & eburnea plectra
Dulcibus ætherias mulſit concentibus auras.
Ille canit, reſonant ſiluæ, præruptaq; ſaxa,
Atque offenſa procul vocis reſponſat imago.
Naiades flauæ, Nerei pulcherrima proles
Naiades, puri ſeu vos in gurgitis vnda
Alma parens gremio complectitur vbere tellus,
Seu nemus vmbriferum propter conualle ſub alta
Purpureos legitis candenti pollice flores
Huc celeres properate, ſolum dum Sirius vrit,
Spargite & optato ſitientia prata liquore.
Dixerat, obſtupuere feræ, pictæq; volucres
Protinus excelſi montis petiere cacumen.
Ille iterum ingeminat, tum verò vertice ſummo
Fit ſonitus, penitusq; cauæ tremuere latebræ.
Nec mora, pumicibus ſectis argenteus amnis
Paulatim fluere, & lymphis ſuccreſcere obortis
Incipit, ac toto manans immurmurat antro.
Miratur latices Almon; atque ora recenti
Spargit aqua, hinc dulci declinans lumina ſomnò
Tranquillo refouet languentia membra ſopore.

De

De Franciſco Maria Card. de Monte.

ALcidæ ne feſſus Atlas iam credat Olympum,
Tutius hic ſuperi Mons feret axis onus.

De Aſcanio Card. Columna Pompeijs commorante.

QVæ fortunatas Campani littoris oras
Tranquillo puppis flamine vecta legis,
Si numeris vada falſa nouis, ſi dulcibus auras
Mulceri vocum ſenſeris illecebris.
Sirenum ne crede dolos, neu verſa per altum
Sollicitam trepido remige carpe fugam.
Sunt hi Pieridum cantus, quas magnus ab vrbe
Romulea ſecum tanſtulit Aſcanius.

Ad Octauium Card. Aquauiuam.

DVm formoſa vagus Benaci littora luſtras,
Inq; humili tentas delituiſſe toga,
Ipſe lacus tumidos fluctus ſubſternit eunti,
Et circum lætis vocibus vnda ſonat.
Ne ſperes Aquauiua tegi, nam maxima virtus
Ignotum nullis te ſinit eſſe locis.

De eiuſdem ædibus Tuſculanis.

EXcelſa aërij per iuga Tuſculi
Surgentes procerum nobilium domus,
Vos iam imber gelidus, iam rapida vt lubet
Auſtri flamina verberent.
Me, cum protulerit lumina craſtinus
Titan oceano, curſibus impigris
Quadrigæ celeres inclyta perferent
Magni ad mœnia Romuli;
Quo non immemorem me ſacra muneris
Suſcepti reuocat curia, quo potens
Vrbis me genius pertrahit, & laris
Quies grata domeſtici.
Quem venti fremitus, quem iuuat horridæ
Tempeſtas hiemis, vos Aquiuiuius
Heros percelebrans incolat, huic die
Aures, nocteq; tinniant
Veſtris blanditijs, quas pater Æolus
Atris perpertuo flatibus augeat.
Nos cum ſidereæ conſtiterint rotæ
Iuga ad veſtra redibimus.

Cubicula hiberna ab eodem extructa Auenionenſi in arce.

IMmani ad cælum ductas qui marmore moles
Nobile Pontificum ſuſpicis hoſpitium,
Extructos humili ne deſpice ſede penates,
Sunt etiam in parua commoda magna domo.
Hic gelidis tepidum mirabere menſibus annum,
Hic lædent ſomnos flamina nulla tuos.
Celſa alius dum cuncta rigent ſe ventilet arce,
Tu cape quæ noſtri dant bona grata lares.

De

De eodem Neapolim proficiſcente.

LYmpharum Sebethe pater, quæ rore perenni
Arua rigant cultæ florea Parthenopes,
Perſpicuo nunc amne fluas, nunc aurifer Hermus
Se tibi diuitibus miſceat vber aquis.
Maxima Romani nam lux Octauius oſtri,
Et veterum ſoboles ſtemmate digna Ducum
Auctus honore nouo tua littora pulchra reuiſit,
Fertq; tibi æternæ munera lætitiæ.
Fulgentes huic vnda ſinu tua voluat arenas,
Huic nitidus pura labere ſemper aqua.

Ad Mineruam Farneſiorum Principum cuſtodem.

FArneſiorum ſacra potentium
Vtriſque belli, & pacis in artibus
Minerua cuſtos, cui Latini
Imperij triplicem coronam,
Ductoſque cæli è ſedibus aureos
Mores, & altæ vim ſapientiæ
Debet perenni Paulus æuo
Heſperijs memorandus oris.
Cui bellicoſus debet adoreas
Graio relatas æquore barbaras,
Belgamq; Alexander ferocem
Militia domitum triluſtri.
Quamcumque terris incolis arcium
Firmans verendis mœnia legibus,
Quæcumque ceſſas te per auras
Ætherio plaga tollit axe;

Duplex

Duplex iuuentæ hoc Italicæ decus,
    Viuam parentis fortis imaginem
    Ranutium, magni Duartem
    Pontificis dea perge cælo
Per laudis arctas ducere ſemitas.
    Certent auitam vincere gloriam,
    ingentibus certent paternos
    Vincere promeritis honores;
Pulchrum ille, vt olim, caſſide verticem;
    Grauiq; pectus contegat ægide,
    Atque hoſtium exultet cruore
    Et gladio, & metuendus haſta.
Vitæ magiſtras huic tribuat labor
    Pacatus artes, & ſuper ardua
    Conuexa ſublatum beatis
    Det ſuperum recubare menſis.
Iamq; vrbis ingens curia Romulæ
    Perfuſa dulci nectare flumina
    Miretur oris, iam ſagaces
    Conſilij monitus ſenilis.
Damnata voti laudibus efferet
    Te Oenotria omnis, te citharæ fides
    Taurellianæ, cui datum vni eſt
    Pindaricos iterare cantus.

Ad Petrum Card. Aldobrandinum Patauinæ Academiæ nomine.

QVæ tibi pro imperij ſunt maieſtate Latini;
    Quæ Patruo Princeps maxime geſta tuo,
Trans maris Herculei metas, trans flumina Gãgis
    Clareſcent faſtis indita perpetuis.
Ornatas merito Aonias ſed honore Camœnas,
    Ociaq; ingenijs reddita nobilibus

Culta

Culta Meletæo Menini Muſa ſub antro
Concinet, ætherius dum vehet aſtra polus.
Perlege, & in veſtras fundit quæ carmina laudes
Communi à nobis edita voce puta.

Ad Cynthium Aldobrandinum Card. S. Georgij.

SI grati monumentũ animi tibi maxime Cynthi
Digna queam meritis tradere dona tuis,
Iam quocumque diem lux aurea fundit Olympi
Terra tibi, & vaſti pareat vnda maris.
Sed ſi tanta negant ſuperi, mens candida ſaltem
Ne obliti culpam contrahat officij,
Ficta orbis ſpatia ampla tibi, quæ vera mereris,
Dat deſiderij pignora certa ſui.

Ad eumdem de Torquati Taxi Coſmopœia.

QVi modo ſublimi Torquatus carmine vates
Terruit Auſonios, terruit Argolicos,
Præpetibus nunc alta volans ad ſidera pennis
Diuinas cantu prouocat Aonidas.
Magne tui ſunt iſta laris miracula Cynthi,
Tu facis vt Cynthi numine digna canat.

Seianus allegoricus MAFFAEI CARD. BARBERINI Vaticinatio.

EVectus altæ ad verticem ſummum rotæ
Seianus, vnde curiam

Mœ-

Mœſtam Senatus, vnde equeſtris ordinis
Turbam pauentem cerneret:
Æquare iam ſe cælitum faſtigio,
Iam numinis ritu coli
Væſanus expetebat & quo Principe
Stulte fouente creuerat,
Huius parabat interempti regia
Prodire amictus purpura.
Intorquet ecce concitum volubilis
Fortuna flexum cardinis.
Præceps miſellus in caput prouoluitur,
Obuertit & pedes polo.
At ſummi & imi geſtiente vindicem
Lingua Pronœam concinunt.
Librata iuſtis concinunt mortalium
Incerta fata lancibus.
Hæc ore vates Barberinus aureo
Immoti ad vndas Tibridis
Prodebat, atro ferre quæ Rhamnuſia
Vetauit Euros turbine.

Ad Alexandrum Card. Eſtenſem.

TE licet Auſonias Eſtenſis magne per vrbes
Multiplici inſignem nomine fama canat,
Quod profugas tecto tamē excipis hoſpite Muſas,
Non minimum laudis dic decus eſſe tuæ.

Eiuſdem horti Tiburtini.

I.

PIerij ne ficta putes miracula fontis,
Aligeri fertur qui pede factus equi,
En volucrum regina iugo tibi montis ab alto
Pegaſeis lymphas elicit vngue pares.

Splen-

II.

Perfoſſę Hippolyto rupes, infuſus in hortos
Regales Anio luſibus innumeris:
Splendentes ſuperis admotæ ſedibus ædes,
Et plantis tellus conſita nobilibus.
Inuida ſed tacitis obrepens greſſibus ætas
Ferre operi tanto cœperat exitium.
Laudis Alexander patruæ ſtudio incitus auxit
Priſca nouis reparans munera delicijs.

III.

Stirpis honos Atyæ Alfonſo patre dignus, auoq;
Hercule, lux ſacri muricis Hippolytus
Reddidit Heſperidum ſæclis felicibus hortos,
Tutus adi, excubias hic draco nullus agit.

Ad Bonifacium Card. Beuilaquam.

LEthiferum tribuit nobis natura venenum
Dum ſtetimus patrio Perſica mala ſolo.
Sed ſimul Auſoniæ felicia vidimus arua
Inter laudatas cœpimus eſſe dapes.
Iam quoque nectareas epulas vincemus honore,
Si tibi magne heros munera grata ſumus:

Hortus Cæſius ab eodem in antiquum nitorem reſtitutus.

SQuallebat ſine flore ſolum, ſine fœtibus arbor,
Inq; meis nullus fontibus humor erat.
Vix placui Beuilaqua tibi, cum proſilit vnda,
Mala grauant ramos, picta renidet humus.

Iam vice te Floræ, ac Pomonæ in vota vocabo
Et mihi quem venerer Naiados inſtar eris.

Ludouici Capponij Cardinalatus.

QVis docte Læli ſenſibus incidit
Obliuioſę torpor inertiæ
Inſuetus? antiquos amores
Qui ſubito abripuere venti?
Septena fauſtis per iuga vocibus
It plauſus arces vndique ad igneas;
Primique, & extremi Quiritum
Purpureo iuuenem galero
Capponiorum nobilium decus
Fulgere ſacris patribus additum
Gaudent, & immenſæ per vrbem
Lætitiæ dare ſigna certant.
Tu ſolus alto preſſa ſilentio
Prægeſtientis gaudia contines
Cordis, nec Etruſcæ laboras
Verba lyræ ſociare plectro
Cantanda, vt olim plurima, quæ tibi
Compſere amico numine Gratiæ,
Quaſcumque terrarum per oras
Italicis honor eſt camœnis.
Quin prome abacto nobilis ingeni
Dotes veterno, prome reconditas
Facundus artes, & perenni
Fer meritum ſuper aſtra cantu.
Dic fœta ſacris pectora legibus,
Hauſta & Lycei pocula fontibus;
Moresque, & exactam per annos
Indociles ſine labe vitam.

Dic,

Dic, ſe auſus alto vt credere gurgiti
Ciuilis vndæ, littora contigit
Felix, & eluſit furentes
Conſilio intrepido procellas.
Sed laude ſumma præcipue tibi
Tollatur vrbis gloria Scipio,
Per quem ſenatũ in Vaticano
Eximium radiare ſidus
Noua inter orbis lumina cernimus.
Quod tantus auram ſi tibi proſperam
Adſpiret heros, ſi benigno
Munificus probet ore vatem,
Iam voce blanda proximus Orpheo
Intenta preſſis flumina curſibus
Coges morari, iam reuulſas
Ad ſonitum properare ſiluas.

Ad Robertum Card. Vbaldinum.

MOntis ad iuga te Politiani,
Roberte procerum decus Quiritum,
Dilecti pia cura fert ouilis.
Me præter veteris graues labores
Morbi, quo teneor miſer, nec vllis
Quidquam ſubleuor artibus medentum,
Hoc angit quoque plurimum, quod iſto
Nec frui venerandi honore vultus,
Nec dulci licet allocutione,
Quibus maxima ſæpe corde ab ægro
Pulſa pars mali abibat, vt nitentis
Phœbi territa luce noctis vmbra
Cælo protinus effugit relicto.
Et nunc me gemino dolore feſſum

Pre-

Premat iam fera Parca, ni reſiſtat
Crebræ mens ope cogitationis,
Ad te qua rapior, tuoſque mecum
Puri nectaris oblitos lepore
Sermones memoro, piosq; vitæ
Mores, ingeniumq; ſingulare.
Hæc me ſeuocat anxium moleſto
Senſu ſollicitudinum mearum.
Hæc ſpem præbet, & augurat futurum;
(O ne ludificer) breui vt reuerſum
Te plena incolumis ſalute cernam.
Sed tu, ſeu diuturni acerba morbi
Vis tandem ſuperum benignitatem
Flexit in mea vota, ſiue mentem
Aegram credula decipit cupido,
Ne ſumptum togo longiore tempus
Mora profer, & arcibus Latinis
Tuæ gaudia læta redde lucis,
Teq; erit mihi triſte nil recepto.

Vini munus ab eodem ad amicos Romam miſſum.

O Plenæ ambroſio liquore cellæ,
Plenæ nectare cælitum beato,
Quas magni generoſa mens Roberti,
Dum flagrantior arua ſol perurit;
Imperat reſerari; & inde amicis
Plures pluribus optimi Lyæi
Mitti munifica manu lagenas;
Quos inter, ſibi vt infimi relictum
Locum ne ambigerent, & ipſe ſenſi
Dextræ prodiga dona liberalis.
Et nunc artubus aridis moleſtum

Vt

Vt parte ex aliqua fugem calorem,
Hæc modo, modo & illa ſub rigenti
Gelu rubra falerna merſa libo.
At vos nectare cælitum beato
Plenæ, atque ambroſio liquore cellæ
Eſte perpetuo, grauesq; crebris
Curas exhilarantibus culullis
Iucundam, vegetamque tam benigno
Hero in ſæcula prorogate vitam.

Ad Alexandrum Card. Vrſinum.

SI ſumma, quæ te exornat, oris dignitas
Quacumque pergis, detinet
Vi rapta dulci tranſeuntum lumina,
Quo Vrſine credis affici
Senſu, abſolutam cernit in te imaginem
Qui ex omnibus virtutibus?

Ad Franciſcum Card. Barberinum à Farfenſi Synodo reuertentem.

CÆleſtis quæ Regis oues ſacra pabula paſcāt,
Quod tutum ſumma ad ſidera ducat iter,
Diſcat ab exemplis operum Franciſce tuorum
Cuicumque eſt ſancti credita cura gregis.
Diſcat, & admirans luſtrata per oppida nuper
Tot linquis vitæ quæ documenta piæ,
O fortunatæ dicat ſæcla aurea gentis,
Si quando hic Paſtor maximus orbis erit.

Ad

Ad Laurentium Card. Magalottum.

COnualui: ceſſere metus, fugere dolores,
Pulſus abeſt laceris artubus ignis edax.
Atque vtinam vitæ extremos, quicũque ſuperſunt,
Tranſmittam curſu proſperiore dies.
Sin me, quod ſuperi auertant, decumbere rurſus
Tam miſerè affecto corpore contigerit,
Non Coi præcepta ſenis Mancinus, & herbas
Artis opes memoret doctus Appollineæ.
Rubra Chiantæis ſed vina expreſſa racemis,
Munifica fundis quæ Magalotte manu,
Iam prope defleto vt nuper tribuere ſalutem,
Vnica ſint morbo ſic medicina meo.

Imago Caroli Emmanuelis Ducis Sabaudiæ.

EMmanuelis Caroli qui imaginem
Breui in tabella conſpicis.
Ipſum videre exiſtima te Cæſarem,
Sed pro ſalute publica
Bellum, pro auita laude gentis Italæ
Forti gerentem dextera.

Ad Ranutium Farneſium Parmæ Ducem In Librum Franciſci Remondi.

HOs doctæ tonitrus linguæ, hæc vrentia flãmis
Excelſas animas fulmina ſidereis,
Per notum ſublatus iter Remondus ad aſtra
Ex arce in terràs detulit ætheria,
Ne dum te alloquitur voces depromat ab ore
Indignas tanti Principis ingenio.

In funere Sebaſtiani Venerij Reip. Venetæ Principis ad Octauianum Maripetrum.

DVlcis quo amici pectora triſtibus
Oppreſſa curis carmine ſubleuem,
Solerq; mœrentem leueri
Muſa potens modulare plectri.
Dic, damna ſeu te publica permouent,
Priuata ſeu fles; non ego carpſerim
Iuſtas querelas, & recentis
Vulneris immodicum dolorem.
Quo nempè magnum funere Principem
Mors dira merſit, dimidium tuæ
Hoc vitæ, & vrbis merſit ingens
Præſidium Venetæ, decusque.
Debebat at qnas & patriæ, & pio
Mens ægra amori, iam lacrymas dedit
Largè. quid exhauris inani
Vltra oculos, animumq; fletu?

Si nocte nomen, ſi repetas die
  Plorans adempti, non tamen audiet,
  Aut reddet extinctus vocantis
  Se precibus rediuiuus Heros:
Primo in iuuentæ flore ſub arduis
  Stratum ſagitta mœnibus Ilij
  Imbelli Achillem, diua mater
  Queſtibus haud reuocauit vllis
Orco, nec atras flammifera micans
  Noctis tenebras qui face diſcutit,
  Luctu redemit pertinaci
  Magnanimum Phaëtonta Phœbus:
Quamquam peremptum quis putet inclyta,
  Quem fama viuis laudibus euehit?
  Virtusq; ſublatum per auras
  Sedibus in ſuperis locauit?
An te vllus vnquam tam procul aureo
  Ab ſolis ortu diſſidet angulus,
  Quem bellicoſæ facta dextræ,
  Facta animi lateant vigentis?
Nil plebis incertæ, & vrbium
  Aeque tyranni noſcere geſtiunt,
  Ac parta pugnaci trophæa
  Ionij pelagi per vndas:
Cum veſtra pubi claſſis Iberica
  Cohorsq; & Latinis iuncta triremibus
  Ferroq. conſumptos, & igni
  Innumeros ſuperauit hoſtes?
Nunc & pauentes inter Echinadas
  Refuſus æſtus, totaq; contremit
  Thrace, atque in extremos receſſus
  Nilus abit fugiente lympha:
Nunc & parentes pectora barbaræ
  Tundunt Pelaſgi in littore Nerei,
  Vmbraſq; natorum ſepulcris
  In vacuis miſeras recondunt.

Hæc nulla edacis temporis auferet
Aetas. dolori pone modum tuo
O care, nec fruſtra beatos
Sollicites Maripetre manes.

In obitum
Lucretiæ Tomacellæ Columniæ, A. Quærengi & Franciſci Mancini communis
Elegia.

INdue ferales Erato mœſtiſſima cultus,
Incomptæ horrificent ora venuſta comæ.
Pulla humeros veſtis, pullus circumdet amictus
Pectora vix lapſa candidiora niue.
Tempora lugubri velentur cincta cupreſſu,
Det querulos plectro barbitos icta ſonos.
Proh dolor, immiti rapta eſt Lucretia fato
Et decus, & mœror maximus Italiæ.
Nec miſeræ gemina veniens ab origine Regum
Profuit antiquæ nobilitatis honos.
Tot neq; natorum, lectiſſima pignora, proles,
Magnanimi virtus nec generoſa viri.
Quid memorem formam inſignem? quid ſceptra potentes
In populos, magnæ diuitiasq; domus?
Scilicet hæc rapido tribuit fugientia lapſu
Inſiſtens volucri lubrica diua rotæ.
At pudor, & probitas, altæ at prudentia mentis,
Et raræ integritas ſancta pudicitiæ,
Et pia relligio, & cunctos exculta per annos
In miſeram virtus prodiga pauperiem:

Innumeræq; aliæ dotes, quibus vndiq; fulſit,
Cur veſtras Parcæ non tenuere manus?
Crudeles Parcæ, dira quæ morte repente
Si quid habet rapitis vita caduca boni.
Infelix ſed vita cadat, ſimul omnia fluxæ
Fortunæ in tenues dona cadant cineres.
Clara tamen nullum metuunt præconia lethum,
Formidat nullam gloria vera necem.
Huius præpetibus pennis Lucretia cælum
Conſcendit, viſa eſt quo perijſſe die.
Inde hominum curas felix miſeratur inanes,
Et ſua nos lacrymis funera flere vetat.
Te quoque ferales Erato deponere cultus,
Et iucunda hilarem promere verba decet.
Concine cælicolum ſublimi in ſede locatam
Inter perpetuæ præmia lætitiæ.
Concine quæ ſoboli afflictæ, quæ ſumma parenti
Gaudia promeritis impetrat illa ſuis.
Et iam Trinacrijs rediens Federicus ab oris
Ditia cum magna coniuge regna refert.
Iam meritos Tyrio crines Hieronymus oſtro
Belliger ad ripas cingit Ibere tuas.
En thalamos Annæ excelſos, en clara minores
Diuiſa in fratres munera militiæ.
At procerũ decus Aeneadum culmenq; Philippus
Ingentem celebri nomine vincit auum
Hæc mihi pro mœſtis ſolatia grata querelis,
Hos cane dulciſonos candida muſa modos.

Tumulus Oratoris Regis Congi ad Paulum V.

AFfinis mandata ferens, & munera Regis
Extremo Congi ab littore vectus eram.
Iniecit cum Parca manum; nec lætior vnquam
Oſtendit ſupero ſe mihi ab axe dies;
Nam feſſum terris dudum, feſſum æquore magnus
Miſit ab amplexu Paulus in aſtra ſuo.

LIBER II.

Horti Quirinales Antonij Grimani Patr. Aquil.

Illuſtres longo, quos muro Antonius hortos
Grimani Princeps clauſit honos generis,
Par magno virtute atauo, par nomine vertit
In varias vſu nobiliore domos:
Quis neget? hic laribus te Roma ſalubribus auget;
Ille feris ædes, alitibusq; dedit.

Fons Liuianus in Villa Federici Cornelij Epiſcopi Pat.

I.

QVi nitidi lympham fontis tellure latentem
Conſpicua ducis culta per arua via;
Tot Federice tibi lætos det Iuppiter annos;
Quot liquidæ ſtillas fons habet vber aquæ.

II.

Riuule, qui occulta manans argenteus vnda
Ter niueo liquidas marmore promis aquas,
Labere frigidior, poſſit quò feſſus ab æſtu
In triplici dominus fonte leuare ſitim.

III.

Qui te marmoream fons vnice cogit in vrnam
Et tibi dat nitidi currere callis iter,
Idem te vmbroſo tegit albi fornice ſaxi,
Gratior vt gelido frigore lympha cadat.

IV.

Siue labor, ſeu te Phœbi lux alta perurit,
Huc celer incœptum flecte viator iter.
Nam ſimul ac vitreæ quis labra admouerit vndæ
Illius immenſus deſerit oſſa calor.

V.

Vberibus fontem ſcatebris manare perennem,
Cui modo vix vllus iam ſuper humor erat,
Ne mirere hoſpes, dominum mutauit, & vdo
Exijt è latebris protinus ille pede.

VI.

Vana diu ficti ſteterat qua fontis imago
Diues inexhauſtæ nunc fluit humor aquæ,
Quæ tibi magne neget Corneli munera cælum,
Excita ſi nutu proſilit vnda tuo?

VII.

Candide fons nimio ſolis qui feruidus æſtu
Aridulâ ingrato labra rigas latice,
Hanc tibi marmoream ponit Cornelius vmbram,
Vt gelido poſt hac frigidus amne fluas.

VIII.

Arduus ingentes terræ ſol contrahit vmbras,
Et rapidus cæli diſſecat arua calor.
Quis neget hic laticum gelidos haurire liquores?
Quis neget hic aura peruolitante frui?

IX.

Vnda ſalit, pleno labuntur marmore lymphæ,
Excitat irriguus murmura grata liquor.
Tu ſeu rore ſitim releuas, ſeu membra ſopore,
Dic, Domino faueant aſtra benigna loci.

Cur

X.

Cur ſolito liquidæ dimanant largius vndæ?
Cur vada ſunt rigido frigidiora gelu?
Sic genius iubet ipſe loci, ſic candida Nais
Aduentum celebrat iam redeuntis heri.

XI.

Hic placida vmbroſis adſpirat collibus aura,
Hic gelida arguto labitur vnda pede.
Si cupis æſtiui flammas vitare caloris,
Quem potes huic alium præpoſuiſſe locum?

XII.

Dum celer Alpinas cautes, & ſaxa pererrans
Templa iubes pura religione coli;
Hic tibi delicias tellus ſubſternit, & vnda,
Dulcior vt feſſo ſit tibi parta quies.

Ad eumdem.

FVlmineo nuper quod Iuppiter attigit igne,
Quæ ſuper Euganeo ſtat tibi colle, domum,
Pone metum, læua cæli de parte coruſcans
Dat tibi lætitiæ maxima ſigna pater.

QVas mira pietate ſacras nunc extruis ædes,
Exitio poterit vix dare longa dies.
Sed nomen Federice tuum, laudesq; decoras
Annorum ſeries tollere nulla poteſt.

Ad Sebaſtianum Poggium Epiſc. Ripanum.

FOrmoſum gemini cultum qui cōſpicit horti,
Et miſera vacuos ambitione lares,
Diſcat opes abs te Poggi contemnere Regum
Et vitam in terris degere cœlicolum.

Ad Marcellum Veſtrium Barbianum.

VEſtri, cui ſua vota perferenda
Tradit Principis optimi ad benignas
Aures plurima turba ſupplicantum;
Si iam, quod reor, elegante lingua
Quæ decus peperit tibi perenne,
Es deſiderium meum elocutus,
Id perfer quoque tantulum laboris,
Te rogo, vt mihi nuncies duobus
Verbis, an placido ſerenus ore
Dignum munere Sixtus expetito
Me reſponderit, an male ominoſum
NIHIL, quod nequeo putare factum,
Noſtro aduerſus inuſſerit libello.

Ad Siluium Antonianum.

ACta per innumeros cùm poſt tria luſtra labores
Sum Latia in patrium vectus ab vrbe larem
Purpureamq; togam, & cæcæ ambitionis inanem
Spem tumido excuſſi funditus ex animo;
His tandem in latebris Silui doctiſſime rebar
Arbitrio vitam ducere poſſe meo.
Inq; vicem gratibus ſtudijs, genioq; vacantem
Alterna curas pellere lætitia.
Iamq; ſuburbani ſpatijs exceptus agelli,
Medoacus flaua quem pater ambit aqua,
Voluebam tacito dulces ſub pectore cantus,
Deſuetæ tractans fila ſonora lyræ.

Et

Et modo,qui Rhenũ domuit, Scaldimq; rebellem
  Fingebam inuicto carmina lecta Duci
Et modò regna pio meditabar Marte recepta
  Eridani magnis proxima fluminibus.
Te quoque, cui ſummos aulæ recluſit honores
  Innumeris fulgens laudibus ingenium,
Votum erat egregijs intexere Principis actis,
  Nec minimum titulis creſceret ille tuis.
Me miſerum ſed vota ſimul, placidamq; quietem
  In rapidos vertit dira procella Notos.
Nam ſimulac Scythicis Boreas glacialis ab oris
  Effudit gelidas cana per arua niues,
Immitem cæli inſuetus vim ferre rigentis
  Ingrato addixi languida membra thoro.
Luxatiq; humeri, qui iam conſederat, ingens
  Exeruit ſe ſe læſa per oſſa dolor.
An neſcis Tuſcæ infelix de vertice rupis
  Sim trepidi vt lapſu præcipitatus equi?
Linquebam formoſa tuos Florentia fines
  Ingrediens tardo per iuga celſa pede;
Altera pars callis montem ſurgebat in altum,
  Altera decliui tramite prona fuit.
Ecce per anfractus ſcopuli pendentis iniquos
  In media quadrupes conſtitit acta via;
Hanc inter, vallisq; cauæ deuexa relictum
  Dum ſequor anguſto limite vectus iter,
Incerto titubata ſolo veſtigia figens
  Excidit abruptæ margine cautis equus.
Voluimur in tergus pariter, pariterq; ruentes
  Ex alto ferimur montis vterque iugo.
Ah tantum mens horret adhuc labefacta periclũ;
  Pulſaq; ſollicito corda pauore tremunt.
Nec mihi tunc vitæ miſero ſpes vlla relictæ,
  Ni dextram omnipotens ſuppoſuiſſet, erat.
Ille dedit molles prærupta per ardua caſus,
  Ille graui exiguum in corpore fecit onus.

Fecit onus leuius, ſæuoq; à funere rapta
  Ingenti vetuit membra dolore premi.
O propria hæc vtinā mihi munera magna fuiſsēt,
  Sed iuſtum auertunt crimina tætra deum.
Peccaui fateor, qua mens tamen impia labe
  Tam longum meruit pendere ſupplicium?
Iam triſtis deceſſit hiems, iam frigore pulſo
  Frondibus, & læto gramine terra viret.
Terra viret, Zephyriq; aura ſpirante per orbem
  Vitali irradiat lumine cuncta ſalus.
Ipſe tamen durum nequeo depellere morbum,
  Lutens & toto in corpore pallor ineſt.
Quiq; videbantur iam conualuiſſe lacerti,
  Depoſcunt artis rurſus opem medicæ.
Effera ſed nunquam vis morbi deſerat artus,
  Numquam lapſa ſuus colliget oſſa ſinus,
Me modo in immeritum ne Principis ardeat ira,
  Quem gemino tellus vtraque ab axe colit.
Ac certè, ſi quid pietas ſincera meretur,
  Et vigil æternum cultus in obſequium,
Noſtra petit pietas, cultus petit, aure benigna
  Excipiat iuſtas mitis vt ille preces.
Et tamen iratum duplici mihi nomine dudum
  Significat fida charta notata manu,
Primùm quòd iuſſa crebrò ſtatione relicta
  Suſcepti haud fungar muneris officio.
Deinde quòd hoc ipsū mediter deponere munus,
  Quod toties olim concupijſſe feror.
Cum veneranda ſacri excipiens conſulta ſenatus
  Purpureus Tyriæ munere veſtis eram.
Et ſperare etiam longè potiora liceret,
  Si ſcirem exiguæ tædia ferre moræ,
O m: felicem, nullo ſi crimine dicor
  Præterea læſi Principis eſſe reus.
Ceſſaui (cur namque negem?) iuuitq; frequenter
  In tacita ſegnem delituiſſe domo.

Languor cauſa fuit. quis iuſtè poſcat ab ægro
Munia, quæ incolumi corpore ſanus obit?
Nec verò affecto optaſſem ſi corpore pondus
Ceruici inualidæ demere culpa foret.
Num verſare graui taurus ſub vomere glebas,
Quem miſerum vires deſtituere, ſolet?
Ilia num morbo ducens, fractusq; ſenecta
Recluſo ad palmam carcere tendit equus?
Sed nunquam me optaſſe probat ſatis altera cura,
Quam mihi vti liceat ponere ſæpe rogo.
Cura ingens, domina rerum quæ adſeruat in vrbe
Vnigenæ pedibus marmora preſſa Dei.
Illa ego, ſi externa mallem conſiſtere ſede,
Detererem genibus marmora ſæpe meis.
Adderet & (ſi quid forſan neglegimus olim)
Sedulitas cultus ingeminata nouos.
Sed patriæ me rura tenent, teneantq; peropto,
Dum lucis radio veſcar Apollineæ.
Hic tamen ingratus quoque luminis accidat vſus,
Ni mihi inoffenſo Principe vita fluat.
Nec dubito; cum prona feram ſacræ oſcula plãtæ,
Quin placido curas ſupplicis ore leuet.
Tu rerum interea Silui tutela mearum
Lenem aditum precibus commeditare pijs.

In Febrim, que magno incommodo publico à grauiſsimi muneris functione crebro Ioannem Ciampolum auocabat.

SInu excitata ardentis Orci ab intimo
Felicis æui gaudijs
Infenſa febris, quo merentem proſequar
Te felle amari carminis?

Cogis

Cogis quæ inerti tam frequenter ocio
    Torpere doctam iampoli
Rerum miniſtram maximarum dexteram,
    Perferre cogis parcius
Ægrum benignas magni ad aures Principis
    Optata ſupplicantium.
Te Roma, te orbis omnis atris ignibus
    Vnde es profecta deuouet.
I regna cæca rurſus, atque vmbras pete
    Quas dira plectunt Tartara:
Illic acerbis auge tecum iugiter
    Infeſta pœnis impios.
Sin furta poſt iniqua te Promethei
    Cæli ſupremus arbiter
Reis malorum criminum mortalibus
    Præfecit acrem vindicem,
Feruore flammæ exæſtuantis vrito
    Inſana quos vel concitis
Iactat voluptas fluctibus cupidinum,
    Vel acta mores turpiter
Inter ſceleſtos vita cunctis exuit
    Humanitatis ſenſibus:
Sæuire in hos te fas, in hos quod cælitus
    Es nacta prome virium.
Integritas huic rara doctis artibus
    Exculta, linguæ huic aureum
Flumen diſertæ, & rebus ingens agnita
    In publicis prudentia,
Inſigne debent ſummi honoris præmium,
    Debent amici luminis
Splendore quidquid largiuntur proſpera
    Felicitatis ſidera.

Ad

Ad Ioannem Baptiſtam Coſtagutum.

TYrrhenæ Ligurum vetuſta gentis
Coſtagute propago; cui Latini
Eſt domus data Principis regenda;
Cum multas memoret, grauesq; cauſas,
Ob quas ſe tibi plurimum fatetur
Semper maxima Roma debituram;
Iure inter numeratur illa primas,
Quòd te auctore potiſſimum, tuoq;
Incenſus ſtudio ſacræ refulgens
Lumen Bzouius eruditionis;
Poſt compendia magna, poſt adauctos
Annales operis Baroniani,
Nouam nuper in ordinis decori
Collegit ſeriem ſtilo eleganti
Genus, nomina, tempus, acta, vitam
Omnem Pontificum, redemptæ ab ortu
Salutis tenuere qui beatam
Hæc felicia ſæcla ad vſque ſedem.
Quæ pulcherrima ſcripta dum legentur,
Grates eſt habitura vtriq; veſtrum
Iuſte maxima Roma ſingulares.

Inſcriptio villæ cuius vſus eidem conceſſus à PAVLO V. PONT. MAX.

SEu pictum te flore ſolum gemmante moratur,
Seu grauidis pendens fœtus in arboribus,
Vtere delicijs hoſpes non inuide noſtris,
Et lege non timida quæ placuere manu.
Ingratus largita ſibi qui credidit vni
Munera, quæ magno à Principe magna tulit.

Camilli Palæoti
Villa Argentina.

I.

MIraris niueo conſtructam marmore villam?
Miraris fontem, flumina, prata, nemus?
Quam mage ſi accedas propius miraberis hoſpes
Cùm dabitur domini nobilis ore frui.

II.

Hic nemus, & gelidæ vitreis in fontibus vndæ,
Hic veſtris Muſæ luſibus apta domus.
Quid rigidas colitis rupes, & inhoſpita ſaxa?
Veſter in his etiam Phœbus erit laribus.

III.

Quæ petit excelſum candentibus æthera ſaxis
Formoſo Argenti eſt nomine digna domus.
Aſt eadem titulo fulgentis dignior auri,
Si docti laudes aſpiciantur heri?

IV.

Sancte ſenex, qui noſtra libens in tecta recurris,
Defeſſæ vt liceat ponere mentis onus,
O tibi tot vitam cæli rex prorogat annos,
Quot miſerum curæ vulgus in vrbe premunt.

V.

Formoſos venerare hortos, venerare nitentes
Qui ſurgunt celſo vertice ad aſtra lares.
Hos quoque, quòd magno tantum placuere Camillo,
Grata colet longo tempore poſteritas.

In

In Librum Carminum Comitis Pomponij Taurelli.

VNdarum tumidos voluere gurgites
  Ingenti ſolitam murmure Niciam
Miraris tacitum leniter alueum
  Lentis lambere flexibus?
Miraris querulis cantibus alites
  Oblitas ſtrepere, & ſollicitum nemus
  Ventorum aſſiduis ſeditionibus
  Nullo verbere concuti?
Felix Threicij carminis æmulus
  Taurellus cithara perſonat aurea.
  Hac ille & volucres, & fluuium, & leuis
  Venti flamina detinet.

Actæ Gratiæ Octauiano Rauaſcherio.

SVauiloquum dulci referas pro munere carmẽ
  Grata precor docto Muſa Rauaſcherio.
Ipſe quidem, magnis quamuis conatibus impar,
  Haud paterer ſegnem conticuiſſe lyram;
Sed miſer indomito pridem languore pereſus
  Dedidici fontis pocula Caſtalij.
Tu quibus in cælum numeris ingentia facta
  Magnanimum heroum tollere diua ſoles,
Purpureo quacumque diem ſol exerit axe
  Promerita eximium concine laude virum.
Aurea præcipuè digno cumuletur honore,
  Quæ nitet in ſanctis moribus integritas.
Tum celebres docti memorentur pectoris artes,
  Cultaq; inexhauſto nectare lingua fluens.

Innumeræ his longo ſuccedant ordine dotes,
Vnde ſibi æternum comparat ille decus.
Has inter, veluti ſtellata in nocte coruſcans
Cynthia fraternis plena micat radijs,
Regia conſpicuo reſplendet lumine virtus,
Quæ vetat ignauis parcere diuitijs.
Hac ſibi perpetuos famæ quæſiuit honores,
Dum coleret ripas maxime Tibri tuas.
Et placidas ſacri demulcens principis aures
Innumeris præſens adforet auxilium.
Hac populi ſtudium pariter commune meretur,
Dum ſedet in patriæ littore Parthenopes.
Scilicet antiqua magnorum à ſtirpe parentum
Certa trahit morum ſemina poſteritas.
Cui veteris non nota domus acta inclyta? cui non
Munifici ſplendor quò enituiſtis aui?
Quid quod in illius patruò paulo ante refulſit
Cæſareo dignus ſpiritus imperio?
Aſpice candenti quæ tecta immania ſaxo
Struxit formoſi in margine Pauſilypi,
Tecta, quibus decus ipſa ſui pulcherrima Siren
Nominis ipſa ſuas addidit illecebras.
Mirifica hic cenſus memorant exempla profuſi
Hoſpitio lætos qui ſubiere lares.
Nec magis inſignes vlla nunc laude penates,
Nomine quam priſci nobilitantur heri.
Huius in excelſis ponit veſtigia ſignis,
Hunc magna exſuperat mente Rauaſcherius.
Quare age perpetuæ laudis florente corona
Cinge ſacrum merito candida muſa caput.
Quòdq; mihi poſſe eripitur, perſolue receptis
Muneribus grates officioſa pares.

Ad

Ad Fidem.

SVpremi ſoboles Iouis,
Quæ cœtus hominum iungis amabili
Nexu, & ſola potentium
Seruatrix eadem diceris vrbium
Incorrupta fides, meum
O curis Decium triſtibus exime:
Illum, principibus viris
Quod miſtus placidæ tempora tranſigat
Vitæ, non memorem tui
Fingit, non domini, vulgus, & auribus
Fallax illius obſtrepit:
Optat cui niuea mente probarier.
Tu, ſi arcana loquacibus
Numquam ſacra leuis vocibus extulit,
Numquam turpia moribus
Aſperſit ſcelerum probra nocentium,
Indignam immerito notam
Arce, & perfidiæ crimina dilue,
Mendacis mala comprimens
Aeterno populi dicta ſilentio.

Phaſelus in Poetam ineptum.

INers phaſele, inepte, amicte ſordidis
Aranearum nexibus,
Quid incolarum dente adeſa murium
Repoſta promis lintea?
Auraſq; captas, & timenda nauibus
Vel Anglicanis æquora,
Fractæ quaterno agglutinatus aſſere
Biremis audes ingredi?

Parum ne ſaxis fracta te ſonantibus
  Propinqua terrent murmura?
Et quæ nigrantis vmbra noctis vndique
  Cum ſole fluctus integit?
Quin abde portu ignaue te recondito
  Secura carpens ocia.
Quod ſi latentis anguli receſſibus
  Inauſpicatò ſolueris,
Fruſtra miſelle verſo inire carbaſo
  Relicta tendes littora.
Sed actus vnda, & impotentis Africi
  Flatu per alta turbido
Dorſi fatiſces aſperi in crepidine,
  Rima aut patente perfluens
Mergere vaſti gurgitis voragine,
  Nec ante ad auras luminis
Te dura cæli fata rurſus efferent,
  Quam vela rore tabida
Salſo, & reuulſa ligna pontus euomat,
  Nudiſq; arenis applicet.

Geryon.

TRes dudũ fortuna viros aduerſa per omnes
  Inſequitur caſus, & turbine concutit atro.
Sed non illa animi inuictum perfringere robur,
Aut potis æternum eſt vnquã diſſoluere fœdus.
Cand da quod ſancti concordia vinxit amoris.
Stant illi obnixi contra, & velut aggere terno
Oppoſito extrema rerum ſe à clade tuentur.
Sic tribus in pugnas animis, tribus iſſe loquuntur
Geryonem clypeis, ſic & Trinacria tellus
Tergemino æquoreas ſcopulo procurrit in vn-
  das,
Tergemino frangit ſpumantes obijce fluctus.

Quid

Quid ſi etiam ſperare auſint ceſſura repente
In melius cuncta? en læuo de cardine cæli
Intonuit, flammiſq; micans rutilantibus æther
Lætitiæ noua ſigna dedit. pretioſa colores
Vellera Puniceos ducant, maris accola rubri
Gemmea regali legat ornamenta tiaræ,
Teq; iterum ſeruet dictator Roma Camillus.

Ad Alfonſum Aualum Ferdinandi Marchionis Piſcariæ F.

A Validũ ſoboles formoſa Alfonſe parentum,
  Militiæ decorant quem pia ſigna ſacræ,
Addidit vndecimo quartum iam Delius annum,
  Ex quo vitali lumine perfrueris,
Nulla tamen ſtimulos ſubigũt tibi facta tuorum,
  Nullus adhuc meritem laudis adurget amor.
Paruus ad hoc nondum Pelides creuerat æuum,
  Tractabat valida fortia tela manu,
Sæuaq; perluſtrans pedibus deſerta ferarum
  Sanguineos ſudibus ſæpe necabat apros.
Tu nec tela quidem de nomine Martia noſcis,
  Et colis vrbanæ mollia tecta domus.
Pugna tibi certare pila, certare choreis,
  Et celebres curru præterijſſe vias.
An tuus hæc genitor tibi quõdã exempla reliquit
  Cum puer externis degeret in laribus?
Et tenero duros agitaret ab vngue labores,
  Aeternum merito qui peperere decus?
An ne auus hoc olim veſtigia limite fixit,
  Quæ læuo inſiſtens perſequerere pede?
Scilicet haud illos ſublimi gloria curru
  Nunc ſuper excelſi tolleret aſtra poli.
Reſpice magnanimos germani Principis actus,
  Conſpicuam erranti præferet ille facem.

Nempe

Nempe ſub ancipites primæui temporis annos
  Haud latam ignauus pertulit ire viam,
Alta ſed anguſto tendens ad ſidera calle
  Conſtitit in ſignis Amphitryoniadæ.
Et nunc ille quidem Herculeas ſepoſtus in oras
  Aemula te clari Martis ad arma vocat,
Quod ſi degeneres animos ſub pectore voluis,
  Bellaq; ſollicito corde cruenta times,
At ſaltem placidæ quærens bona commoda vitæ
  Excole Palladijs artibus ingenium,
Et cauſas rerum, & cæli deprende meatus
  Perq; deum ſedes peruolita ætherias.
Quò tibi prægrediens aditus monſtrabit apertos
  Vraniæ proles inclyta Caſtalio.
Sic tuus ille, oræ Alfonſus regnator Iberæ
  Cuius ab illuſtri ſemine progrederis
Per te iterum in lucem vita, nomenq; reſurget,
  Sic poteris tuta tendere ad aſtra via.

Ad Rodulfum Rodulfium.

I.

IS Rodulfe tibi decor eſt, ea gratia formæ,
  Vt Clario prorſus par videare Deo.
Quod ſi Pierias animum conuertis ad artes,
  Hoc quoque, cui fueras par modo, maior eris.

II.

Ingenij dum laude viges, dum prima iuuentæ
  Serpere per roſeas incipit vmbra genas,
Nitere Daphnæa circumdare tempora lauru,
  Æternum tribuat quo tibi Muſa decus.

III.

Caſtalias properat Muſæ Rodulfus ad vndas,
  Ducite vos facili ſaxa per alta via.
Ducite, nam ſacri attigerit ſi gurgitis amnem,
  Splendor erit veſtri maximus ille chori.

Incipe

IV.

Incipe Theſpiadum virides conſcendere colles,
Incipe Caſtalio pellere fonte ſitim;
Sic laudes Rodulfe tuas attollere ad aſtra,
Sic poteris proauos exſuperare tuos.

V.

In manibus Rodulfe tibi noctesque, diesq;
Aurea ſint vatum carmina nobilium:
Hinc morum præcepta tibi, hinc ſolatia vitæ
Dulcia, & eloquij flumina larga feres.

VI.

Si cupis æterna crines ornare corona,
Si celebri heroum clangere facta tuba,
Carpe altam Rodulfe viam, qua maximus olim
Extulit Aonidum ſe ad iuga celſa Maro.

VII.

Quid dubitas flauis dare laurea ſerta capillis?
Caſtalidum medio quid recubare choro?
Si tua Phœbææ ſpecies micat æmula formæ,
Carmina ſi numeris condis Apollineis?

VIII.

Inuigilas quoties ſtudijs Rodulfe ſeueris
Sidereo clarus fulget ab axe dies.
At ſimul ignauas animum traducis ad artes,
Lux fugit, ac denſis imbribus arua natant.
Hæc portenta tuus tibi ab æthere mittit Apollo,
Ingenium æterna vt ſedulitate colas.

Ad Fabium Blondum.

Depreſſo terit axe iam propinquam
Sed Nouembribus orbitam Kalendis,
Et celſi iuga aperta per Quirini
Ventosq; pluuiasq; pertimeſcens
In collem redit aula Vaticanum,

Non tamen mihi Blonde reſtituti
Sunt in Principis ædibus penates,
Mendaciſſimus iſte quos miniſter
Tuus fæx mera plebe de Sicana
Incauto abſtulit artibus doloſis,
Dum ter deierat improbus quaterq;
Se menſe illo abeunte redditurum.
Sed menſis properante lapſu, & annus
Quamuis præteriere nec querelas
Meas accipit aure, nec veretur
Ipſum te deciesq; viciesq;
Verba ne dare pergat imperantem.
Quid ergo faciam? rogabo iam te,
Vt quem ſollicitus mihi laborem
Nauas, hoc tibi conſulas, tuamq;
Labentem tueare dignitatem,
Ne temni tua iuſſa, negligiq;
Si feras animo remiſſiore
Indignus videare, cui poteſtas
In tales data Blonde ſit miniſtros.

Munus Io. Baptiſtæ Coſtaguti.

SI quid Socraticis decet
Doctis credere paginis,
Nil præſentius anxiæ
Mentis nubila diſcutit,
Quam certantia nectari
Scyphis hauſta capacibus
Puri munera Liberi.
Sed tum præcipuè iuuat
Plenis ludere poculis,
Vix extincta bibentium
Multo cum ſitis acrior
Inter labra renaſcitur.

Ergo dulcibus ebria
Coſtagute liquoribus
Te Muſa, ac lepidum tui
Inuentum ingenij ferat
Læto ad ſidera carmine.
Qui lectiſſima cùm meri
Dona ad me modo mitteres,
Infuſo addideris ſale
Pernas prouidus aridas,
Viniq; & ſitis auxeris
Pulcro fœdere gratiam.

Ad Abrahamum Bzouium.

TE Chalcenterón eſſe nominandum
Dixi ob innumerabiles libellos
Admirande Abrahame, quos labore
Miro intra breue tempus edidiſti.
Nunc ob aurea flumina eloquentis
Linguæ, qua veterum diſertiorum
Claris par titulis decus mereris,
Iam Chryſenteron arbitror vocandum.

LIBER III.

Ad Laurentium Duccium Irriſio Chaldaicarum prædictionum.

IAM victor ortus conſule ſiderum,
Lapſusq; Ducci, & flammiferam face
Solis laborantem tremendos
In populis agitare caſus,
Vates futuri præcipe conicius.
Te pertinacem iure perhorrida
Immane Phœbi conſecuta
Deliquium docuere monſtra.
Toto ſonantes æthere Iuppiter
Contorſit ignes, omne frementibus
Ventis ab imo vertit æquor
Æolus, & tremefacta tellus
Primas ad alpes littore ab vltimo
Hinc, inde gentes Itala terruit,
Et Roma adurgentem ſupremi
Excidij trepidauit horam.
Nullum ſed æque perculit inſolens,
Ac me nitentis pallor Apollinis,
Contempta nullum ſæuiore
Sidera corripuere pœna.
Nam cum ſororis perfida Delium
Preſſiſſet vmbra, & gurgite ab Indico
Furuis amictum nox tenebris
Protraheret taciturna currum,
Hortis coactus cedere floridis,
Quos aura leni murmure perſonat,
Flumenque, lucuſque, & benigna
Mens domini decorat Rodulfi:

Noctem vetuſto ſub lare peruigil
Duxi tuarum Regule comparem ,
Cum barbarorum ſæpta acutis
Membra dares laceranda clauis .
Noctem tuarum Siſyphe comparem ,
Seu ſiquid atra ſub ſtyge deliter ,
Quod fontium noxas merentum
Supplicio grauiore plectat .
Vix dum cubili ſcilicet indigens
Blandæ quietis tradideram latus ,
Cum parte crudeles ab omni
In miſerum inſiluere turmæ .
Quis voce formas , & numerum , & genus
Tumultuantis differat agminis ,
Dignè ? quis in pugnam ruentum
Arma , acies , referatq; plagas ?
Non Pœnus aſper , qui face Romulam ,
Ferroq; gentem contudit impio ,
Tot diſſidentum nationum
Colluuiem in fera bella traxit .
Non tot Pelaſgis finibus vltimam
Minata cladem Perſis in Atthidem
Immiſit hoſtes , cum profundo
Indita ſunt noua vincla ponto .
Pars militari vafra ſilentio
Sinus doloſe repit in abditos .
Equeſtre certamen volucri
Pars init inſidioſa ſaltu .
Sunt qui canoro claſſica concrepant
Stridore , & acri vulnere ſaucios
Vultus inurunt , mox per auras
Diffugiunt celerante penna .
His dum reſiſto fortis , & aſpera
Mauorte cœco prælia conſero ,
Dum tectus incaſſum furenti
Vrget amor miſerum duello :

Exorta feſſum me occupat aureo
  Splendore mater Memnonis, occupat
  Examen antiquum laborum,
  Seruitij ſoboles moleſti.
Tam dira Ducci quis mala pernegeт
  Fluxiſſe cæli ſeditionibus
  In me? & retuſum lucis orbem
  Ætheriæ hanc peperiſſe cladem?
Tu ſæua trades cætera poſteris
  Euenta, mi nox exitiabilis
  Dicetur, atque omnes in annos
  Fatidicas venerabor artes.

In Librum Pauli Gualdi de vita Iõ. Vincentij Pinelli.

PErpetua rapidis annis obſiſte iuuenta
  Muſarum pia cura liber,
Quaque dié promit, qua mergitur æquore Titan
  Fer magni ſuper aſtra decus
Pinelli. non rara altæ ſapientia mentis,
  Non morum ſine labe nitor.
Inuida Lethææ metuant obliuia noctis.
  Promeritus quoque tollat honos
Inſignem cælo Paulum, quem dulcis amici
  In tantum laus egit opus.
Gloria Germanæ gentis te Velſerus heros
  Ante alios per docta virum
Agmina dimittet celebrans. illo auſpice tutam
  Ad Gades, ad Bactra viam
Carpe volans, famæq; diu te crede vocanti
  Ingreſſum quocumque feres

Te lætæ excipient vrbes, ſed lumina Tuſci
Præſertim tibi clara maris
Magnanimi plaudant Ligures, ciuemq; verendum
Poſteritas imitata colat.

Ad Hieronymum Aleandrum de Laurentij Pignorij Commentario In Tabulam Aegyptiacam.

DOcta inter monumenta, quæ perenni
Sunt digniſſima laude; iure cenſes
Erudite Aleander hunc libellum
In omnes celebrem dies futurum,
Quo Laurentius, inclytum Latini
Eloqui decus, abditas vetuſtis
Sacras Niligenum notas figuris
Pandit mirifica explicatione.
Viuet, quis dubitet? ſuopte cunctas
Per terras genio aureus libellus,
Verum clarior vſque, & vſque viuet,
Tua quod meritò poli ad ſupremam
Arcem tollitur approbatione.

Pro amico in patriam nauigante.

CÆlicolæ magni, quorum felicibus vndas
Verrimus intrepidi auſpicijs, ignotaq; ponti
Per vada longinquas terræ penetramus ad oras;
Sollicitas de more preces dum pectore toto
Fundimus, & ſacros aris adolemus odores,
Ventorum cohibete minas, iam nubila cælo
Diffugiant, properentq; truces conſidere fluctus.

Et leuibus Zephyri miteſcant æquora flabris,
Vt meus in patriam remeare Georgius vrbem
Poſſit, & antiquos poſt tempora longa penates
Cernere, promeritæ referens inſignia laudis
Dilectus Phœbo ante alios, ſuperumq; parenti.

Laurea Germano Poëtæ impoſita ab Hercule Saxonia.

QVam tibi Caſtalijs exhauſta è fontibus vnda,
Et vigiles doctæ mentis peperere labores,
Accipe Daphnæa inſignem de fronde coronam,
Hac te florentes Germania læta per vrbes
Conſpicuum, magni præſtantia Cæſaris acta
Audiat ad ſuperos diuino attollere cantu,
Audiat æternæ laudes te tradere famæ
Herculeas, memoriq; animo pro munere tanto
Omnia victuras in ſæcula ſoluere grates.

Rana, & Lacerta ſuccino incluſæ.

DIcite odorati fuluo quæ tegmine ſucci
Condita ſpiratis viuos animalia ſenſus,
Dicite, quis tantæ læto vos munere ſortis
Demeruit, fragili vt ſpolio, membriſq; caducis
Exempta æterno electri concluderet orbe?
Nunquid vbi in glaciem ſolidā ſe fluxilis humor
Cogeret, & gelida ponti concreſceret vnda
Deuinxit lento intercepta inglutine caſus?
An potius natura parens, vt nobile Iaſco
Magnanimo donum exprimeret, primordia rerū
Miſcuit, & viuis animauit ſuccina formis?

Quic-

Quicquid in effigiem veſtros hāc tranſtulit artus,
Fortunata ambo, quibus ipſa in morte perennem
Inſigni vitam licuit reparare ſepulcro:
Fortunata magis, tanti quòd ſeds recepta
Hoſpitis Aonio vos dulcia carmina cantu
Hermanni decorant famæ immortalis honore.

In Librum Marci Mantuæ.

PRæſtantes animi Iuuenes, quos inclyta virtus
Excitat ingenti diuinæ laudis amore,
Quos operoſa iuuat veterum reſponſa Quiritū
Noſcere, & immenſi verſare volumina iuris,
Si longas rerum ambages, flexusq; latentes
Et Labyrintheos cupitis vitare receſſus
Promerita ornantes iuuenilia tempora fronde
Quà vobis faciles aditus, quà peruia monſtrat
Inſignis pietate ſenex, inſignis & arte
Mantua, ferte pedē, celeri ille per ardua greſſu
Florentis viridi ſiſtet vos tramite campi
Et dabit optatum curſus contingere finem.

Sacellum Gregorianum à Laurentio Frizolio laudatum.

ASpice marmoreo ſpirantia ſigna ſacello,
Viuit in his dices ſenſus imaginibus,
Cerne eadem numeris Laurenti expreſſa putabis
Victura æternos hæc ſimulacra dies.

Sedula naturam mira manus exprimit arte;
Et fictas animam ſpirat in effigies.
Æternos vitā hanc numeris tu extendis in annos
Dumque artem adſimulas æquiparas ſuperos.

In Librum Petri Magni de Conſilio.

COnſilio, cantu, eloquio Tritonia, Phœbus,
Mercurius cæli promeruere decus.
Quid tibi Magne damus, Phœbum qui carmine vincis,
Mercurium eloquio, Pallada conſilio?

Platonicum Aenigma.

CLarus in obſcuro peregrinus conditur antro,
Cui merito nomen Lunæ tribuere priores,
Hunc Veneris primæ, & mundi melioris imago,
Lucida quæ exterius paruo reſplendet in orbe,
Excitat e tenebris, & carcere ſoluit opaco,
Vt repetat veteres felici morte penates;
Luminis hinc multa interni cum luce coruſcus
Diuinam referas ſpeciem mortalibus vmbris;
Efficis externa vt longè tellure relicta
Deferar in patrias pennis velocibus oras.

Ad Ioannem Cargam.

QVid tibi ad flauas Anienis vndas
Docte facundo canit ore Clio
Carga, feruentes vaga dum calores
Temperat aura?
An Pij laudes ſuper aſtra Quinti
Ferre diuinas iuuat, & relata
Vrbibus priſci memoras Latinis
Tempora Iani?

Ille

Ille ſeu cura vigilante puppim
  Inter irati ſcopulos profundi
  Alleuat quaſſam, docet & minaces
    Temnere ventos:
Seu bonos pergit reuocare dignis
  Præmijs mores, ſceleriſq; iuſtus
  Improbi vindex rigidis coërcet
    Crimina pœnis.
An magis dulci meditare cantu
  Inclyta Almonis monumenta magni,
  Qui procul noti modo vidit orbis
    Finibus Anglos?
Victa ſub duro modò vidit axe
  Flumina algenti glacie, & beatam
  Indica merce Heſperiam, ſupremæ &
    Littora terræ.
Sæpe mutatis rapidus quadrigis
  Sæpe mutatis liquidas per vndas
  Nauibus, ſacri pia dum faceſſit
    Iuſſa parentis.
Quidquid inſigni modularis arte,
  Es, niſi ignoras bona tanta, felix,
  Cui licet grato placidam receſſu
    Ducere vitam.
Me Notus dira madidus procella
  Vrget in Syrtes pelago latentes,
  Vrget in cautes, & iniqua feſſis
    Saxa carinis.
Iamq; rimoſa rate ſæuientem
  Aequoris fluctum trepidus pererro,
  Nec mihi quiſquam rutilante Pollux
    Fulget Olympo.

In Librum Pauli Benij de laudibus Iuriſprudentiæ.

O Boni cuſtos veneranda, & æqui,
Docta quæ ſacras reſerare leges
Iura das vni ſua cuique, & vrbes
Moribus ornas:
Quot tibi veri titulos honoris
Benius culto cumulat libello,
Præmia, & laudes totidem merenti
Grata repone.

Ad Gaſparem Saluianum.

VEtuſtiorum Saluiane originum
Scrutator vrbis Romulæ,
Sacriq; cœtus lecta pars, qui dulcium
HVMORE clarus imbrium
Doctas ſorores Pindi ab antris deuocat
Mancinianos in lares;
Meis benigna cura, quam pro laudibus
Amplexus vrges ſedulò,
Laborq; ſumptus multiplex, ne poſtero
Ignotus æuo contegar,
Sibi referri à me ampliorem poſtulant,
Quam poſſit vnquam gratiam.
At certe habebo plurimam, dum ſpiritu
Vitalis auræ perfruar.

Ad Bandinum Gualfreducium.

HVmanitatis edocendæ maxima
Rectè tibi vni tradita eſt prouincia,
Imbuta namque ſeu lepore amabili
In rebus, in ſermonibus benignitas
Humanitatis eſt vocanda nomine,
Seu litterarum nobili in ſcientia,
Pulcher iuuentæ flos quibus cultus nitet,
Sic docta nuncupatur eruditio.
Vtramque laudem tu adſecutus omnium
Bandine longè es vnus humaniſſimus.

Ad Gregorium Montagnanam.

HInc effunde ſacri diuina oracula iuris,
Et chartis apices illine nobilibus,
Inde manus ſcriptis humentibus addat arenas,
Perſtent vt nullo deperitura die.

Ad Iuuenilium Carminum laudatorem.

AEtatis grauioris opus qui nobile carmen
Non putat,& iuuenum ludicra ſola probat
Is virides etiam maturis frugibus herbas
Et ſeris flores fructibus anteferat.

Ad Albertum Manzolum.

QVod nequeant iuſto eximiæ ſub Principe leges
Omne procul Latia pellere ab vrbe ſcelus,

Nil mirum ſi Alberte doles, tua poſtulat ingens
Id probitas, ſanctæ & relligionis amor.
Sed culpam quod noſtra refers in tempora miror,
Sollicitorq; animi ſimplicitate tui.
Inſpice poſt primi crimen lethale parentis,
Singula quam raros ſæcla tulere pios.
Tum dices, vt vixit adhuc, ſic viuere perget
Cum tota infectum poſteritate genus.

Ad Poſthumum amanuenſem.

VEntorum ne flabra tuas, ne frigora lædant,
Quæ mihi tot pergunt commoda ferre manus.
Accipe Romanæ non vilia tegmina pellis
Poſthume, quæ noſter mittere iuſſit amor.
Mox vt hiems glacie aſperior, Boreaq; rigebit,
Te caper Hiſpano gratus odore teget.

Ponticus.

QVid trepida felix captatur nuncius aure
Qui ferat Eoas ſuccubuiſſe rates?
Tam bene qui in tabula claſſes inſtruxit Iberas?
Iam nos victores Ponticus eſſe docet.

LIBER IV.

Ad Ludouicum Fulgineum.

DVM radijs Titan feruentibus arua pe-
rurit,
Et calor aſſiduam prouocat ore ſi-
tim;
Hæc tibi candentis tenuiſſima lamna metalli
Temperet impoſita rubra Falerna niue.
Vix bene contigerit, quæ nuper vina calebant
Sarmatico dices frigidiora gelu.
Iam bibe, iam cyathis muſas ſpumantibus æqua,
Et medio ætheriam lampada temne die.

Ad Gallum.

DVra quid euerſis incuſas fata quadrigis
Galle cruentato quòd premis ore ſolum?
Sic celebris ſtadio quandoque auriga ſupremo
Ad metam currum fregit Olympiacam.
Præcipiti Antiopæ natus ſic decidit axe,
Dnm fugit inceſti crimina fœda tori,
Fas potius te Galle queri, quod raptus vt ille
Non ſis à pauidis dilaniatus equis,
Tu quoque Phœbigenæ vt dono reuocatus ad au-
ras
In ſiluis eſſes Virbius Euganeis.

Ad Comitem Schinellam de Comitibus.

PVra tibi vt gelidi fontis ſit gratior vnda,
Lux Patauí,& proauum gloria Dardanidum,
Hæc tibi ſe Nereus in candida pocula vertit;
Aſpicis? en prono pectore fundit aquas.
Iam bibe; nec patulo delphin te abſterreat ore,
Ille ſolet doctis ſæpe fauere viris.
An Methymnæi neſcis miracula vatis?
Tu quoque Arionijs verſibus æqua canis.
Sin trepidus cunctaris adhuc, tantum aſpice rictus,
Vt medio nudus frænat Amor calice.

Ad Albertinum Bariſonum.

EVganei ſpes magna ſoli, qui laude perenni
Virtutum celebres vincere tendis auos,
Quam benè dulciſonæ interdū modulamine muſę
Pectora Palladio feſſa labore leuas;
Et modo culta feris Tyrrheno carmina plectro,
Et modo ſublimi digna Marone canis.
Sic quoque dū ſtudio parcis te attollis Olympo,
Et tibi par, gemino ex munere ſurgit honos.
Nam meritum flaua hinc Pallas te exornat oliua,
Cynthius hinc lauri fronde virente tegit.

Ad Offredum Offredium.

QVæ mihi Pierijs numeris mandata dediſti
Etruſcæ iuuenis nobilitatis honos.
Illa

Illa ego cũ primùm lux craſtina ſurget Olympo
Sollicito peragam ſedulus obſequio.
Quod ſi animũ cura oppreſſum incũbente leuarit
Ob noſtrum quidquam Perſius officium,
Non ego mendaci tollendus ad æthera laude,
Sed tu, qui tanti muneris auctor eris.

Ad Marcum Triuiſanum.

DVm veterũ ſtudioſe puer tibi facta Quiritum
Ingenti narrat Liuius hiſtoria,
Ne noſtrum immemori labatur pectore nomen,
Parua tibi agreſtes dona ferunt calathi.
Parua,ſed haud vereor,quin longe maxima dicas,
Si tibi quo hæc animo mittimus accipias.

Ad Marcellum Nobilium.

INdicio Marcelle cupis deprendere certo
Eſſe meram,ac purã quod bibimus lacrymam?
Fulgidulos ſociorum oculos tueare bibentum,
Vix calicem attigimus cum exiliunt lacrymæ.

Ad Petrum Scalabrinum.

FOrs dirimet quæ iũcta vides labentibus annis
Incertæ rerum nomina noſtra vices.
Nulla ſed vnanimes vis diuidet improba mentes,
Quas pius æterno fœdere vinxit amor.

Ad Hortenſium & Ioſephum Perſicos fratres.

IAm læti rediere dies, iam templa Mineruæ
 Quæ ſtudijs longum clauſa fuere patent.
Ingenuam celſo auditis de culmine pubem
 Sollicitis icta vt pulſibus æra vocant?
Præcipue vos illa vocant par nobile fratrum
 Vnde ingens ſperat Norica terra decus,
Ite alacres, celeri cunctos præuertite greſſu,
 Ardua quos laudis per iuga raptat amor
Pars maior tranſacta viæ eſt, en próxima veſtrum
 Laurea quæ æterno cingat honore caput.

In ſtultum aleatorem.

ADuenit ære grauis, ſemper leuis ære recedit
 Dum ludo ætatem conterit Hermogenes,
Nam ſimul ac loculis aurum deprompſit apertis,
 Id ſibi diuerſum quæritat hoſpitium.
Is tamen in tanta iactura hoc angitur vno,
 Iudicium carpi quòd timet inde ſuum.
Pone metum Hermogenes, nemo eſt tam mentis iniquæ
 Iudicij quidquam qui putet eſſe tibi.

COerula quę dextro tibi fulget in indice gēma,
 Siue ille ſit topazius,
Vt verbis quicumque tibi blanditur amicis
 Eſſe impudenter dictitat,
Seu veterum vitri ſpecies effoſſa ruinis,
 Gnari quod artis autumant,

Hæc tibi dum ludis paruos præſtringit ocellos,
Hæc ingeni vim ſurripit,
Luce repercuſſa nam pupula, mensq; vacillant,
Et ſpectra miſcent turbida.
Hinc manus officio trepidans haud fungitur apto,
Hinc bile flaua perfuris,
Ergo age vel Moſi recutito redde lapillum
Sæuo obligatum fœnori;
Vel cur nulla tuam victoria comprobet artem
Mirari ineptus deſine.

Morbi medela ex amici garrulitate.

CVi neque Pæonij morbum pepulere liquores,
Secta nec artifici turgida vena manu,
Attulit optatam mihi garrula lingua ſalutem,
Ægraq; non ſolita membra leuauit ope.
Nam miſeras tundit rapidis dum vocibus aures,
Spirandi exiguum nec ſinit eſſe locum,
Feruida ſuccenſo me ſanguine concitat ira,
Et bilem, & morbum faucibus eijcio.

Ad M. Grimanum.

DOcte puer, celeri qui percipis omnia mente
Atque eadem memori promere voce ſoles,
Pieridum vel ſacra parens te in luminis oras
Mnemoſyne in ſiluis edidit Aonijs,
Vel te progenuit certe Tritonia Pallas,
Diuino quoniam pectore vtramq; refers.

Ad Rodulſum Rodulſium ægrotantem.

DVm febri anhelæ torridus
Vror medullas intimas,
Vapore qualis igneo
Correpta arundo carpitur,
Hunc auget æſtum maximè
Quod audio te nunc quoque
Languere feſſis artubus
Rodulfe amabiliſſime.
Quod ſi vereter, ne tuus
Hic morbus eſſet longior,
Iam flammà totus, ac cinis
Iſtabuiſſem protinus.
Sed ſpero quàm citiſſime
Vtrique noſtrum maximo
Opem ferente numine,
Soſpes tueri ſoſpitem;
Tu ſi ſodalem diligis,
Quo amore debes mutuo,
Florere ſi optas auream
Formæ, ac leporis gratiam,
Quæ in te refulget, ac tuis
Pulcherrimis virtutibus;
Impende curam ſedulò
Vt conualeſcas ocyus
Rodulfe amabiliſſime.

Ad Flauium fratris F.

CElſas aëriæ linque domos plagæ
Tandem, & quæ ſuperis ſedibus inſitum
Ignem vis gelidi frigoris obruat,
Flaui quærere deſine.
Fas olim iuueni forſan inanibus
Triuiſſe in ſtudijs tempus inutile,
Et quæ alte in latebris abdidit inuijs
Natura, ingenium ſagax
Tentaſſe, aſt alio nunc vocat arduum
Quod geſtas humeris inualidis onus,
Seu priſco ad gelidas Medoaci iuuet
Vndas te lare perfrui.
Siue vrbis repetas mœnia Romulæ,
Tanti at præcipuas muneris occupet
Partes cura vigil, ne pietas malam
Labem candida contrahat.
Neu puri ætheriam pectoris opprimat
Auram lethiferi flamma cupidinis,
Aut ritu ſuperis impia debito
Mortalem ambitio colit.
Quamquam cælicolis proxima ſubleuat
Sors rerum dominis regia principes
Sceptrum promeritos, quo ex numero tibi
Cum longe eximios bona,
Qua fulges animi præditus indoles
Dudum conciliet, ſedulus inſtruat
Viuendi egregijs te labor artibus
Quas & conſilio, & fide,
Et lingua, indigeant res vbi publicæ,
Depromas. populis ſic tua proderit
Magnis, ſic celebri conſpicuum feret
Virtus laude perennior.

Quam

Quam ſi diſſidijs turba loquacibus
Pugnans veridico te audiat intimas
Cauſas iudicio nunc pluuiæ, aut niuis,
Nunc exponere grandinis.

Ex primis quinque verſibus Aeneidos magnum portendi grammaticis infortunium.

MIraris non æqua tuis pia numina votis?
Miraris ſemper Zoile te miſerum?
Ille tuus, quem nocte vigil, quem luce volutas
Afficit hoc meritum munere Virgilius.
Aſpice quale operis magni tibi prima terenti
Limina fert quinis verſibus exitium.
Arma ciet primus, profugum docet eſſe ſecundus,
Tertius implacidis iactat in æquoribus,
Crudelem ſuperum quartus denunciat iram,
Bella iubet quintus ſanguinolenta pati.
Aut igitur miſeri ſtudijs abſiſte laboris
Zoile, mirari aut deſine te miſerum.

QVid duro miſer enecas labore
Teque, diſcipulosq; Priſciane
Docti carmina vt explices Maronis?
An tu triſtia fata non perhorres,
Quæ verſus tibi quinque comminantur
Ipſo in limine maximi poëtæ?
Arma in te prior excitat, ſecundus
Expellit profugum domo paterna,
Terra tertius exulem, mariq;
Iactat; numinis ardet ira quarto,
Et lethalia bella fert ſupremus.

In-

Infelix mala tanta vt adſequare
Duro peruigil enecas labore
Teque, diſcipulosq; Priſciane?

In Fabianum exploratorem Thomæ Auali & Alfonſi fratris nomine.

EXplores licet angulos per omnes
Hæc illhæc Fabiane quæ geruntur,
Ac ſtatim domini feras ad aures,
Non tamen patrui benignitatem
Erga nos aliosq; ſingularem
Credas reddere poſſe te minorem.
Nam te acutius ille corda, & ipſos
Nouit pectoris intimos receſſus,
Nouit inuidiæ tuæ venenum
Et mendacia, & oblocutiones,
Quibus perdere tendis innocentes.
Ergo quamlibet angulos per omnes
Explores Fabiane quæ geruntur
Occluſas mihi crede fers ad aures
Lethale inuidiæ tuæ venenum
Et mendacia, & oblocutiones.

Ad Iacobum Vectianum.

REs eſt, non nego, dura Vectiane,
vt qua maxime in arte ſe peritum
Quis intelligit, illa in excolenda
Ferat ſe alterius regi arbitratu,
Eget verius ipſe qui magiſtro.
Quod nuper tibi contigiſſe dicunt,
Virginis celebrare cum beatæ

Diem carmine iuſſus es ſupremum,
Ea conditione, vt obticeres
Quæ nulla ratione præteriri
A probo poterant, & erudito.
Res dura, hoc magis eſt ſed ille felix,
Poteſt qui ingenio ſuo imperare,
Et ſeu deligat ipſe quæ legentum
Argumenta oculos tenere poſſint,
Seu quæ ſubijcit alter illa tractet,
Diſertiſſimus æque in omne vertit
Se cultæ genus elocutionis,
Et nunc æquore liber in patenti
Fertur, imbribus auctus vt feraces
Magnus cum populatur amnis agros,
Nunc circi in ſpatio breuis pererrat
Anguſtam pede ſemitam volanti,
Curſuſq; implicat arte tam venuſta
Vt cum ſæpe iteranda, quam peregit
Iam ſemel via ſit; fauente ſemper
Plauſum promereatur ab theatro.
Sic dulces digito micante neruos
Percurrit fidicen catus, rapitq;
Mentes ictibus incitas canoris,
Grato & ludificat dolo audientes,
Dum modis numeros nouis eoſdem
Pulſam barbiton edocet referre.
Tali dexteritate te benignum
Cælum, Pieridesq; Vectiane
Exornant, ſimul vt queas tueri
Illæſæ pia iura diſciplinæ.
Simul ſuauiloqui lepore cantus
In vatum numero elegantiorum,
Quos hæc ſæcla tulere, quos vetuſta
Aeternam tibi comparare famam.

Ad Aeolum.

AEole ventorum domitor, qui flamine magno
Cùm libuit terras concutis, & maria,
O precor, oppoſiti ne turpia culmina tecti
Aſpectum noſtris eripiant laribus,
Informes putri catie, fumoq; penates
Immiſſis laceros diſijce turbinibus.

Ad Marcum fratris F.

SVb duce laus magna inuicto te prima ſeueris
Expleſſe in caſtris munera militiæ:
Dira Subalpinos cum belli immiſſa per agros
Tempeſtas omnem terruit Auſoniam.
Nec ſemel in medios inuectum fortiter hoſtes
Tractaſſe intrepida Martia tela mauu.
Digna animo auſpicijs tantis iam concipe facta,
Et diſce æternos viuere Marce dies.

Auctoris ædes ſuburbanæ.

HOc tibi vicino creſcit quod margine ripæ,
Et vitrei gelidas amnis obumbrat aquas,
Aſſiduus parui cultor Quærengus agelli
Medoace agreſti conſerit arte nemus.
Tu violenta lares ne ſubruat vnda propinquos
Anguſtum aggeſta porrige littus humo.

Tumu-

Tumulus Bertoldi ab Harrach.

NOn tumulũ tibi, nòn titulos potuere parẽtes
 Promeritis dignos ponere nate tuis:
Quod potuere, ferunt largi tibi munera fletus,
 Perpetuo madidas qui rigat imbre genas.

Ludouici Fulginei.

Μνῆμ᾽ ὀλίγον φθαρτόν τε βροτοί σοι τεῦξαν ἑταῖροι·
 Ἄμβροτος ἥδ᾽ ἀρετή σοὶ μέγα, καὶ ἀθάνατον.

Baptiſtæ Candi.

DVm procul à patria Romam pius aduena lu-
 ſtras,
Te veram omnipotens tranſtulit in patriam.

Iacobi Delphini.

QVi formam Delphine tuã, qui nouerat annos
 Tam citò miratur te potuiſſe mori:
Sed tua cui virtus fuerat perſpecta, fatetur
 Serius ad ſuperas te rediiſſe domos.

Vxoris à viro interfectæ.

COniugis extinctæ rorantem ſanguine dextrã
 Cum rapido ablueret Mutius Erethenō,
Vade ait, & cæde infectus teſtare cruenta,
 Quacumque aut terris perfluis, aut pelago,
Eſſe tuis patrium hoc, vlciſci vindice ferro
 Vel tenui læſam ſuſpicione fidem.

Natæ à parente occiſæ.

EDuctum natæ crudeli è vulnere ferrum
In tua lethali viſcera verte manu;
Verte miſer, nullus tantum ſcelus eluet enſis,
Hoc niſi quo moriens concidit illa, cadas.

Eurydami.

TEr denos pelagi diſcrimina ſæua per annos
Eurydamus naui pertulit incolumi.
Sera Parætonijs mors ægrum oppreſſit in oris,
Et vetus iniecta condidit hoſpes humo.
Ecce tumens ſtuo Nilus tegit arua profuſo,
Et miſeri tumulum diſijcit & cineres.
Secura ſic puppe diu qui vixit in vndis
Poſt obitum terra eſt naufragus in media.

Pyrrhi.

DVm ſtruit excelſo Pyrrhus tecta ardua ſaxo,
Et longo aggeſtas tempore fundit opes,
Hic ego, ſeu miſeras (inquit) Mars terreat vrbes,
Seu vigeant pacis munera, lætus agam.
Iam vigiles curæ valeant, morbiq; doloreq;
Nec mihi Neſtoreos candida parca dies.
Dū loquitur, greſſu in foueā titubante propinquā.
Per ſaxa infelix aſpera lapſus obit.
Sic miſerum genus ingenti perſæpe labore
In noſtrum ignari tendimus exitium.

Sextilij.

STare Quirinali effigiem ſibi iuſſit in æde
Confectam ex niueo marmore Sextilius.
Iniuſtè ingrati hæredes mandata iubentis,
Et tabulas turpi poſthabuere lucro,
Nam ſtolidum ingenium; cui longo nulla labore
Hæſit per denas littera Olympiadas,
Proiectusq; pudor, duri & mos improbus oris;
Hac mirè poterant exprimi in effigie.

S. Picenardi.

SVrgere Niliaca decuit tibi mole ſepulcrum,
Æquaret meritos vt tumulus titulos.
Sed te parua tamen functum non dedecet vrna,
Spreueris immenſas cum modo viuus opes.

Iulij Paſini.

AEquabat rara ingenij iam laude Mineruam,
Æquabat ſacras Iulius Aonidas,
Cum gemitũ linquens nobis, lacrymasq; perennes
Raptus obit quintæ in limine Olympiadis,
Scilicet ad ſuperos prima redit ille iuuenta
Cum ſolis dignus viuere cælicolis.

PArce precor tumulũ lacrymis decorare viator,
Mœſtaq; cum gemitu comprime verba pio
Non ego vel tenues moriens dilapſus in auras
Vel nigra ſum Stygiæ trans vada vectus aquæ.
Dum vitam duxi in terris, me Phœbus Apollo,
Me probitas ſtudijs excoluere ſuis:
Nunc vbi fatalis tranſegi tempora curſus,
Ætheria felix ſpiritus arce volo.
Improba ſit pietas, translatum flere beatæ,
Ad vera in cælum gaudia lætitiæ.

Equi Comitis Pompeij Capræ.

QVi doctos glomerare gradus, qui vincere curſu
Pernicis Boreæ flamina ſuetus eram,
Deliciæ domini quondam, nunc mœror amantis
Ante diem paruo condor equus tumulo.
Tu mihi, quam viuens preſſi vix alite planta,
Pondere terra leui grata repende vicem.

In

In Sceleton Felis Franciſci Petrarcæ.

VAtis amor Tuſci Felis, quid ſacra tot annos
 Extincto vitæ lumine tecta colis?
Diuinos domini pergo ſeruare libellos
 Terrifico inijciens muribus ore metum.

Arcebam ſacro viuens à limine mures,
 Ne domini exitio ſcripta diſerta darent.
Incutio trepidis eadem defuncta pauorem,
 Et viget exanimi in corpore priſca fides.

Niobe Praxitelis.

MArmoream ex viua Niobē me fecit Apollo,
 Eduxit viuam ex marmore Praxiteles.

Medea Timomachi.

SVmpturam ſæuas de coniuge Colchida pœnas
 Ab cæde natorūm impia,
Spirantem geminos animos expreſſit in ore
 Miranda non viuo manus;
Nam dulcē thalamī ſobolem, thalamūmq; peroſū
 Vultu in furente miſcuit.

Inſcriptio Villæ ſuburbanæ.

NYmphæ, Naiades nymphæ, quę proxima lętę
 Incolitis gelidi flumina Medoaci,
O prohibete vndas, ne dulcibus hoſpita muſis
 Præcipites tumido vortice tecta ferant.

Ad Rinaldum Molinettum.

QVo quiſque veri inaniores fabulas
Canora vates conſuit
In metra iunctis dictionum ſyllabis,
Hoc digniorem creditur
Iuſtè coronam promereri lauream,
Ipſo probante Apolline:
Sic famà Homerum conſecuta eſt maxima,
Hinc tota pendet Ilias;
Cum vel nefanda cælitum connubia
Mandat legenda poſteris,
Vel digna riſu effuſiore prælia
Æternitati conſecrat.
Nec pauciora abſurditatis alterum
Monſtra in volumen contulit.
Cyclops, Calypſo, Circe, Vlyſſes, næniæ,
Sunt cuncta, nugæ, & ſomnia
Quæ vix ab ægri mente mota prodeant,
Aut porta eburna manium.
Inter Latinos principem ſibi locum
Carmen Maronis vendicat,
Quòd impudicam ſcite Elyſam finxerit,
Piumq. natum Cypridis.
Hærens in horum ſcilicet veſtigijs
Vates Rinalde tu quoque
Summo vt poëtas prouoces mendacio,
Fuere quicumque, aut erunt,
Me ferre vanis immerentem laudibus
Olympi ad arces niteris.

RHAPSO-

LIBER V.

Ad Cæſarem Card. Baronium IN CHRISTI DOMINI è cruce pendentis imaginem Benedicti Georgij munus.

PARVA colorati credat quis fragmina vitri
Parrhaſijs ductas tabulis imitata figuras
In tantum prodiſſe decus? quis iuncta latenti
Non inhiet tacitus miranda emblemata nexu?
En quæ orbē finxere manus, en qui humida Nerei
Calcauere pedes arentibus æquora plantis,
Vulnere traiecti duro. Stant ſanguine crines
Concreto, lacerum facies collapſa recumbit
In pectus; cæliq; pares fulgentibus aſtris
Impia nox oculos nigranti contegit vmbra.
O rari ſimulacra operis, vix lumina poſſunt
Mirifica abduci illecebra, vix ficta tueri
Se attonito ſenſu rerum ſpectacula credunt.
Iamq; fluunt tepidis lacrymarum vndantia riuis
Iam dolor, & pietas mœrenti è pectore triſtes
Eliciunt domini ad lethum miſerabile voces,
Et pauidos ſcelerum terror grauis occupat artus.
Hæc celebris tibi ſancte Heros miracula dextræ
Eximium docti munus mens alta Georgi
Conſecrat, & verum obſequij cum munere cultũ.
Tu dum ſeptenas diuinis laudibus horas
Diuidis, & calamo parcis, quo ſæcula luci

Priſca refers, orbemq; ſacris annalibus ornas,
Hic noſtræ auctorem ſupplex venerare ſalutis,
Hic prece poſce pia, longos pater optimus annos
Clementi vt tribuat magno, quo ſoſpite nunquã
Impietas trepidas errabit tuta per vrbes,
Nec chorus Auſonias virtutum deſeret oras.

Ad Beatiſsimam Virginem Dei Matrem eiuſdem B. Georgij nomine.

QVæ mihi ſupremo genitorem è funere lethi
Ereptum vitæ in lumina reſtituis,
Tu me eadem ſerua incolumẽ virgo alma parẽti,
Et poſt fata pio ſuſcipe vtrumque ſinu.

In Librum Aſcanij Perſij de eiuſdem B. Virginis miraculis in imagine Bononienſi.

IMmenſos adijſſe mari, terraq; labores,
Vt vatũ obſcuris monſtratã ambagibus ædem
Virginis incoleret ſpirans genitricis imago,
Laude opus ingenti dignum, ſed maxima longe
Pieridum columen Perſi tibi gloria ſurgit,
Plurima quòd ſacri celebrans miracula vultus,
Flammifero quacumque polum Sol circuit axe
Numinis æterni eximios teſtaris honores
Et priſcæ memores patriæ per clara tuarum
Virtutũ decora ad ſummumq; nos ducis Olympũ.

Ad eandem
eiurata in Damone allegorico falſi
honoris inſana cupiditas.

TEucrius inſano Damon Laurentis amore
Praxillæ filuis notus in Auſonijs,
Ante tuas meritis hæc ignibus inijcit aras
Carmina ſupremi numinis alma parens,
Dira quibus veteris deflens incendia flammæ
Sæpe nothos potuit ſollicitare deos.
Tu miſerum longo quod tempore torruit ardor
Lethifer, ætheria cor precor vre face.

Ad Sanctiſſimam ædem Lauretanam.

ALigerum manibus iuuenum delata per auras
Palmiferis procul è campis felicis Idumes
In Latium veneranda domus, qua maxima virgo
Stirpis Ieſſææ diuini ingentia partus
Ætherium obſtupuit volucrem promiſſa ferentē.
Qua Patris æterni æternam mirabile prolem
Concepit, geſſitq; vtero, quem flammeus alti
Omnia complectens non continet orbis Olympi;
Ad tua me genibus reptantem limina flexis,
Turpiaq; exactæ damnantem crimina vitæ
Ingreſſu dignare ſacro, & pia ſuſcipe vota.
Non ego, me vt vani titulis exornet honoris,
Aut pexo Sidonio fors induat improba cultu,
Non vt vaſta meo vertatur vomere tellus,
Horreaq; immenſæ vincant immania fruges,
Vnum oro ſtudioq; vnum flagrante peropto,
Vt quæ animo penitus labes inſedit in alto,
Et grauat antiquæ miſerum me pondere culpæ,
Hanc meritis, precibusq; piæ, domus alma, parētis

Anxia mens laris anguſti ſub culmine tergat,
Et volucrem feſſos vitam dum ſpirat in artus,
Fulgeat æterni puro ſic lumine ſolis,
Vt patrias repetat certo iam tramite ſedes.

S. Petri nauis Iocti Flor. opus.

NAufragium licet vnda mihi ventiq; minentur
Vis tamen inuictam mergere nulla poteſt.

Exitus impij conuentus.

VT Regem ſummo æternũ detrudat Olympo
Væſana rurſus excitat
In cælum turrim Babylon, operiſq; miniſtros,
Hinc inde cogit improbi
Quoſcumque aut dira impietas, aut cæca cupido
Latè imperandi perdidit.
En iterum pater omnipotens immanibus auſis
Diſſentientes obijcit
Ignotæ ſonitus linguæ, & temeraria vano
Incœpta turbat exitu.

In SS. IV. tutelares vrbis Patauinæ.
In S. Iuſtinam Virg. & Mart.

AVreus lætam volucri reuexit
Sol diem curru, ſacra qua beatam
Templa Iuſtinam celebrant, pijsq;
Laudibus ornant.
Vrbis ò noſtræ decus, ò perenni
Virginum lampas radiata luce,
Quæ tuis æquos meritis honores
Carmina reddant?

Te

Te genus longa ſerie potentum
Principum fulgens, te opibus penates
Splendidi immenſis potuere numquam
Flectere cælo.
Quin pios ſancti monitus ſequuta
Præſulis, ſummo vt fruerere Olympo,
Corde tempſiſti impauido furentis
Iuſſa tyranni,
Candidum donec latus hauſit enſis
Impius, ſed te gemina reuinxit
Fronde regnator Superum, poloq;
Intulit alto.
Vnde per cunctas numeroſa terras
Dona largiris precibus petentum,
Et feras clades miſerata magnis
Vrbibus arces.
Thracio quis non pelagus cruore
Turgidum, quis non memorat ferentes
Vincula, & lethum Venetis carinas
Te auſpice victas?
Protege æterno veneranda iuſtos
Principes veræ clypeo ſalutis,
Protege antiquæ patriæ benigno
Numine ciues.
Gloriam Patri Domino canamus,
Gloriam nato vnigenæ, tibiq;
Alma, quæ ſpiras ab vtroque ſancti
Flaminis aura.

In S. Proſdocimum primum vrbis Epiſcopum.

PAſtorum columen, primus ab impio
Qui ritu, & ſcelerum calle nocentium
Vertiſti Euganei fluminis accolas
Ad veri obſequium Dei.

Sunt, quæ mirifico numine concitus,
Dum reclùſa homini ſidera nuncias,
Egiſti, vt memorant, plurima laudibus
Attollenda perennibus.

Sed tùm præcipuè ſe tua prodidit
Virtus, cùm laticum fonte ſalubrium
Sanaſti inualidum duplice præſidem
Morbo cum ſobole, & domo.

Diffuſa hinc pietas creuit, & vndique
Exemplum populos nobile perpulit,
Vt cultus animo dira nefarij
Puro ſacra repellerent.

Et cæli ætheriam ſcandere regiam
Vinclis, & proprio ſanguine diſcerent,
Quos inter radijs clara micantibus
Iuſtinæ rutilat fides.

Tu ne vis teneras improba frangeret
Plantas, neu miſeras ferret oues lupus,
Poſt longum ſenium præmia percipis
Tantis digna laboribus.

Et conuexa poli celſa perambulas,
Quò nos vt facili tramite prouehas,
Commiſſumq; tibi reſpicias gregem,
Multa te prece poſcimus.

Trinum promeritis numen honoribus
Tellus & ſuperi concelebrent choris.
Sit Patri, & Genito gloria, ſit tibi
Sancte in ſæcula Spiritus.

In S. Danielem Mart.

INclytus longos iacuit per annos
Tectus ignoto Daniel ſepulcro,
Ipſius donec monitu repertum
Nobile corpus.

Dulcis

Dulcis ablatum ſibi lucis vſum
Flebat in Tuſca miſer vrbe cæcus,
Cum ſibi in ſomnis iuuenem beatum
Cernere viſus.
Surge qui dixit properans, & inter
Fertiles agros Patauii require
Marmore extructam rutilante primi
Præſulis ædem.
Hic meum corpus latet, hic recludet
Luminum clauſos tibi Chriſtus orbes.
Surgit, & læto (mora nulla) greſſu
Iuſſa faceſſit.
Iamq; poſt ingens iter expedito
Sternitur templo, atque oculis receptis
Monſtrat occultum tumulum, pijq;
Martyris oſſa.
O nefas dirum, fera gens acutis
Candidos clauis lacerarat artus,
Opprimens vaſti lapidis cruentum
Pondere corpus.
Quod licet multis grauis abdidiſſet
Sæculis tellus, tamen vt recenti
Vulnerum fluxu ruber enitebat
Vndique ſanguis.
At ſimul tanti cupidas per aures
Rumor it facti, accelerant propinqua
Illico ex vrbe, accelerant remotis
Finibus omnes:
Sancta nec ceſſant monumenta magnum
Martyrem miris decorare ſignis,
Et domum pulſo numeroſa morbo
Turba reuiſit.
Gloriam ſummo canimus parenti,
Gloriam nato vnigenæ, tibiq;
Iungis hunc illi qui ab vtroque ſpirans
Omne per æuum.

In S. Antonium Confeſſorem.

DIgnis ad aſtra vocibus
Laudes feramus maximi
Antoni, & vrbis inclytam
Noſtræ canamus gloriam.
Hic ille natus vltimas
Tagi qui ad vndas nobili
Domo; paternis commodis
Mendicitatem prætulit.
Qui Chriſti amore ſaucius
In mille ſe diſcrimina
Coniecit; vt cæleſtium
Choro adderetur martyrum.
Hic ſingulari præditus
Linguæ eloquentis munere
Quamcumque adiuit vrbium
Mores fugauit improbos.
Orci fugauit agmina
Infanda, & ægris artubus
Salubre robur indidit,
Pacemq; in orbem rettulit.
O noſtra felix ciuitas;
In qua ſupremis vocibus
Confeſſor almus claruit,
Et ſancta membra condidit.
Sit Trinitati gloria,
Summoq; Patri & Filio,
Simulq; ſancto Flamini,
In ſæculorum ſæcula.

Ortus, Vita, Miracula Sancti Caroli Borromæi.

Miranda Solis quæ ſpecies noui
 Celſis Aronæ turribus imminens
Noctis per vmbras exerit igneam
 Naſcente lucem Carolo?
Demiſſa ab alto limine cælitum
 Splendore læto ſcilicet indicat,
 Se rurſus orbi vt relligio iubar
 Induta reddat priſtinum.
Vix ergo certis promere vocibus
 Arcana ſenſus incipit intimi,
 Cum ſancti amoris cor tenerum face
 Ardet peruſtus feruida.
Et iam piorum ſedulus inclytos
 Ediſcit actus, iam fugit improba
 Eſcam malorum gaudia, & aſperas
 Vitam per artes excolit.
Nunc & profuſa diuitias manu
 Turbis miniſtrat largus egentibus,
 Nunc æde furtim clauſus in abdita
 Defixus hæret in Deum.
Hunc mente noctes, hunc agitat dies
 Immotus, oſtro ſeu Tyrio nitens
 Sacrum ſecundus dirigit arbiter
 In puppe clauum Romula.
Cuſtos ouili ſeu patrio datus
 Inter luporum furta rapacium,
 Inter potentum terrificas minas
 Curis laborat anxius,
Vtramque doctus ferre vicem pari
 Virtute. Dignum quis tribuat decus

Laudis merenti, cùm mala perfidi
Perrupit hoſtis retia,
Intaminato quæ ille tetenderat
Fallax pudori? quis memoret ſatis
Vt ſceptra rerum maxima criminis
Tractarit omnis inſcius?
Vt ſæpe cari dum gregis excubat
Securitati peruigil, vltima
Se ſe in pericla immiſerit impiger,
Dulcemq; vitam tempſerit?
Cedunt ſed illi impulſa coërcitis
Tormenta flammis, concidit horridæ
Vis peſtis, imas in tenebras fera
Se monſtra condunt Tartari.
Nunc alta felix ſidera iam tenet,
Mira vnde terris munera diuidit,
Certumq; cæli per ſua prouocat
Exempla nos in tramitem.

Ad S. Philippum Nerium.

O Superis dilecte olim, nunc maxima Neri,
Pars ſuperũ, quo celſa ingens ad ſidera tẽplũ
Auſpice Romana eductum miramur in vrbe,
Miramur ſacræ vnanimes in fœdera vitæ
Tot claros coijſſe viros, qui luce nitentem
Virtutum, denſa humanæ in caliginis vmbra,
Per tua ſecurum ſignant veſtigia callem:
Ecquid ab ætheria ſublimis conſpicis arce,
Ille tuus nitidæ ſe vt fons vberrimus vndæ
Protinus in cunctas terræ diffuderit oras?
Conſpicis, & mira paſcis dulcedine mentem!
Ecquid ſollicitos noctemq; diemq; labores
Prouehis adſpirans comitũ, quæq; optima cultis
Doctrinæ, morumq; ſtudent dare ſemina terris

Fœcundo irroras cæli inuariabilis imbre:
Sic operis pia cura tui, ſic exigit ardens,
Qui noſtri te exurit amor: quòd ſi alme precari
Promeritis maiora licet, ſpemq; addere votis,
Annue, vt Euganea quos nuper magnus in vrbe
Scipiades, paritérq; polo demiſſus ab alto
Angelus in cœtum cupidos legere verendum;
Hos tua præſertim radijs tutela benignis
Adſpiciat, dutiq; inter diſcrimina lethi
Incolumes reddat cæli fulgentibus aſtris.

In S. Tereſam.

LVcidum gentis canimus Tereſam
Sidus Hiſpanæ: canimus beatas
Virgines inter duplicis decoram
Munere palmæ.

Parua cum ſeptem fugientis æui
Integros nondum ſuperaret annos,
Innocens arſit cadere impiorum
Victima ferro.

Ibat & ſæuos peritura ad hoſtes,
Numinis magni at reuocata iuſſu
Repperit mortis decus vnde poſſet
Viua mereri.

Vt lares ergo tetigit paternos,
Quidquid æternas iter expeditum
Tardat ad ſedes oculis, & alta
Mente remouit.

Vnus obiectum Deus: vnus imi
Cordis affectus pietas: ab vno
Viſcera incenſis terebrata telis
Senſit amoris.

Huius afflatu celebres peroſa
Vrbium cœtus, & inanis auræ

Flabra ſacrati ad veneranda templi
Clauſtra profugit.
Hic quot æternæ monumenta laudis
Liqueris Virgo memoranda narret
Qui maris fluctus numerare, & ipſas
Nouit arenas.
Narret angores, lacrymas, flagella
Aſpera, ærumnas vigiles, cibiq;
Inſcias, grata & vice ſummą lætæ
Gaudia mentis.
Qua volans alti ſuper axis ignes
Inſeris magni te adytis Tonantis,
Vnde inexhauſtæ radios reportas
Lucis in orbem.
Sancta Carmelo redit vnde priſcæ,
Puritas vitæ, & numeroſa latè
Virgini Matri duce te, ac magiſtra
Templa reſurgunt.

FINIS.

Ad Franciſcum Card. Barberinum de Hieronymi Aleandri imagine.

Omiſſi verſus operarum incuria ante Epigramma ad L.Card.Magalottum pag.169.

Extare docti ſi Aleandri imaginem
Poſt dira longùm concupiſcis funera
Ne magne te Franciſce credas nobili
Apellis, aut Lyſippi egere dextera.
Viua eſt; & omnes viuet annos inuidi
Spretura tutò immenſitatem temporis
Vera altæ imago mentis eruditio.
Mira hanc libellis arte cultis inditam
Teſtem reliquit ſempiternam poſteris,
Quàm dignus ille te miniſter vixerit
Quàm dignus illum tu miniſtrum foueris.

Aloyſij Lollini Bellunenſium Epiſcopi ad Antonium Quærengum.

DAt tibi cygneam Clarius Querenge ſenectã,
Carminibus quæ læta pijs demulceat aures
Romulidum procerum, rapidas Anienis ad vndas
Dum recolis ſacras ſtudijs tua numina Muſas
Nobilibus, famamq; immenſum extendis in æuũ.
Laudis honore, nouo ſemper florẽtis ephebos
Nos idem qui iunxit amor, dum dulce per artes
Tempus in Euganea doctas traducimus vrbe
Vſque manet, lapſu annorum nec carpitur vllo,
Diffugiens qui cuncta rapit, ſtabiliſq; manebit.
Quamquam diſſidio ingenti, vitæq; lociq;
Nos Deus abiungi voluit. tibi Roma theatrum
Contigit Auſonios plauſus, laudemq; merenti
Principis eximij vaſtæ cum pondere molis
Admittit feſſus doctæ ocia blanda Camœnæ.
Me regio ſecreta tenet, qua Noricus arua
Itala Germanis limes diſterminat oris
Curantem vigili ſtudio ne pabula deſint
Sacra ouibus, nitidiq; amnes, quas paſtor alendas
Suſcepi. nec noſtra minus complectitur arctè
Corda tamen nexu æterno inuiolabile fœdus
Dulcis amicitiæ, mihi tu nam ſemper in ore,
Inq; oculis. dirimant diuortia longa viarum
Telluris, pelagiq;, animi modo curſibus ingens
Præpetibus non obſtet iter, dicto ocyus vrbem
His repeto, & te inuiſo licet non viſus amanti.
Prona via eſt quacumque leues direxerit alas,
Siue Quirinalis petat alta palatia cliui,

Seu

Seu Vaticanis impoſtas molibus arces
Pontificũ ſedē amplificā, quo quicquid in orbe eſt
Confluit eximij. Virtus, Doctrina beatæ
Interiora domus aſſeruant limina, nomen
His veniens dat quiſque ſuum penetrabilibus ante
Aurea quam pulchri templa ingrediatur Honoris.
Hic te Principibus permiſtum cernimus ore
Doctiloquo Graiorum artes, Latiæq; Mineruæ
Pandere opes, miroſq; animis ingentibus ignes
Subdere ad egregiæ felicia præmia laudis.

Eiuſdem.

VAtes clientes Cynthij intonſi grauis
Non vrget ætas, artubus
Manet iuuentæ viuidus vigor, calet
Pectus ſenecta in vltima,
Carmenq; fundit, quale olores Mincij
Ripam ad virentem, vel nouum
Canora Aëdon ver ſalutans. ſic iubet
Hebe, Camœnarum pijs
Fauens alumnis, Herculis connubio
Præclara fortis, aſpice
Quæ rengus ore quo fluat natu ſimul
Famaq; grandis, quo pedem
Altum cothurno vinciat, plectro aureæ
Quo fila percurrat lyræ.
Etruſca ſiue per vireta fert gradum
Pindi ad cacumen; Auſonum
Seu digna plauſu concinit. ſenium ferat
Sic Muſa noſtra, ni improba
Sunt vota, id hercle peruelim: vena Tagus
Alios inauret diuite.

Vir-

Virginij Cæſarini.

FElix, qui fama potuit poſt fata ſuperſtes
Viuere, & ingratæ ſpreuiſſe obliuia mortis,
Poſthuma quem nitidis comitatur gloria pennis;
Nāque vbi Lethæis mergunt nos funera lymphis
In fatale Chaos ruimus, morituraq; paſſim
Nomina fuſcantur Stygij caligine regni.
Nec tantum viles animas, plebeiaq; buſta
Integit obſcuris damnans mors dira tenebris,
Sed quos ſublimi iuſſit fortuna triumphans
Sede nitere duces oſtroque; auroq; ſuperbos.
Scilicet Aſſyrio non fulgens lana colore,
Illuſæ gemmis veſtes, ditiq; metallo
Texta chlamys, tenebras Erebi, noctēq; reſoluūt.
Hinc olim docto cecinerunt carmine vates
Clauſū iter ad ſuperas auras, reditumq; negatum
Omnibus, aurati fulgentia germina rami
Munera Perſephones ni ſacrō in limine figant.
Sed quis Auernalis ſiluam peragrare Sibyllæ,
Aut valet arcani nemoris penetrare receſſus,
Qua ſe diues agit pretioſo è ſtipite palmes?
Dijs genitos hæc fata manent; ad talia vires,
Humanæq; artes torpent ſine numine diuūm.
Quod ſi felicem potuit diuellere ramum
Aeneas, noctis viſurus regna ſoporæ,
Euboicos ſaltus callem monſtrante parente
Intrauit, niueæq; virum duxere columbæ.
Non tamen indecores vmbroſo in limine mortis
Deficiant, auro quibus hæc non fulſerit arbor
Immortale virens, nam tu Parnaſſia laurus
Tænarias reſeras ſedes, & ſæua recludis
Tartara, ſulphureoſq; lacus nigrantis Auerni,
Hinc quicumque tuis compeſcunt tempora ramis

Per Stygias impune domos, tenebraſq; vagantur.
Rurſus & ætherias læti reuocantur in auras.
Non te pigna gelu infernæ vada lenta paludis
Expoliant frondis ſemper viridantis honore,
Non Acheron curuis torquens incendia ripis
Vrit te piceo glomeratis ſulphure flammis.
Tu gemini victrix pandis commercia mundi
Vatibus, & ſæuæ ius in ſua ſtamina Parcæ
Dant tibi: docta tuis redimiti frondibus ora
Pindarus, & Phthij celebris cantator Achillis,
Poſt auidos vixere rogos, plauſuq; probati
Grata per ora virum volitant clamore ſecundo.
Hos Quærenge tibi ſolers induſtria ramos
Donat, & impediunt eadem nunc ſerta capillos.
Hæc tibi Calliope doctis Heliconis ab oris
Attulit, & Stygias docuit te ſpernere leges.
Non tu poſt cineres, ſi quid pia carmina poſſunt,
Clarus ab inferna Vates frænaberis vmbra
Parte tui meliore manens, puro æthere rurſus
Sidereaq; recens ſemper donaberis aura.
Hæc quæ victuris committis carmina chartis
Romanum quibus eloquium ſe iactat, Olympi
Nomen in aſtra tuum tollent. audire frementes
Iam videor plauſus, lætæ & præconia laudis,
Iamq; paludoſo diues Germania Rheno
Nequicquā Auſonijs te perlegit æmula plectris.
Obſtupet attonitis Rhodanus iam tardior vndis,
Miraturq; Liger Latias riuireſcere laurus.
En Pataui ſedes tantum te gaudet alumno,
Prælia Romuleæ quantum cum Liuius vrbis
Scriberet, Euganeos fertur lætata per agros.
Salue igitur decus Auſoniæ, te Tibridis vnda
Æternum canet, & meritos tibi ſoluet honores.
Teq; inter celebres numerabit Roma poëtas

Caroli ex Comitibus S. Bonifacij de Cratere Quærengiano.

HVnc ſibi Lenæus mallet Cratera micare,
Inter ſiderei lucida ſigna poli:
Hunc ſibi Pierides Parnaſſi in vertice ſummo
Optarent ſacri fundere fontis aquas.

SI QVAE IN HIS CARMINIBVS VOCABVLA OCCVRRENT QVORVM VSVS A SACRIS THEOLOGIS SIT IMPROBATVS CVIVSMODI SVNT FORTVNA FATVM ET ID GENVS ALIA IN ILLIS AVCTOR PARTIM SE POETARVM MORE IMPROPRIE LOCVTVM PARTIM DOCTORIS ANGELICI PIAM SECVTVM INTERPRETATIONEM PROFITETVR.

Pag.	Verſ.	Err.	Cor.
5	15	Suſcipit	Sulpicie
7	13	Teſtudini	Teſtudinis
7	22	diademe	diadema
9	35	ergo	ego
11	5	obem	orbem
13	29	colunt	colent
16		Admonita	admonitu
22	36	Athe	Athenis
35	13	ſucurrat	ſuccurrat
38	29	Curatnm	curarum
48	4	omœnia	amœna
76	26	Tirinacria	Trinacria
86	23	Hæroes	Heroes
89	4	maliga	maligna
93	15	ex	&
95	5	inaceſſæ	inacceſſæ
109	19	pnrfuncti	perfuncti
113	17	petitura	peritura
114	5	fœdeſſnt	fœdaſſent
114	3	alſa	alta
122	3	flamme	flammæ
122	26	alloquio	eloquio
128	6	qua	quo
129	26	miniſterum	miniſterium
135	24	veteris	veteris
135	27	vocas	voces
140	24	conqnerimur	conquerimur
141	17	landes	laudes
141	25	forer	foret
145	36	C[illegible]	Cur
155	27	infelis	infelix
216	6	ἐπῶρει	ἐπῶροι